præstitit omnibus, utpote *speciosus forma præ filiis hominum* a, & solus elevatus, ac exaltatus à terris, carnemq; suam virtute superiore à terris levans, velut aries *hærens cornibus* b, exaltavit etiam cornu Populi sui. Hugo Victorinus c, eamdem allegoriam de Christo pluribus tractat, ut cornu dicatur populi dominici. Cornu, inquit, de carne procedit, sed carnem excedit: sic Christus de carne Virginea processit, sed culpam non habendo, carnem excessit. Cornu omni supereminet corpori, & Christus membrorum suorum universitati, quod *cornu salutis* Joannis pater *erectum* cecinit *in domo David* d, quia salutem prædicavit (quasi edens cornu signum) immo attulit. Cornu populi Dei Christus, quoniam ipso absterret, & fugat hostes de finibus suis. Hoc unum cornu eximium dignitate, potestate, sanctitate, exaltatum est ipso ascensionis die, & collocatum ad dexteram Patris, videl. prius exaltatum in ara Crucis: quod videns Abraham in illo ariete, cujus cornua hærebant viperibus, *gavisus est, & exultavit* e. Juxta tropologiam, & anagogen, exaltatur cornu populi fidelis, quod hic humiliatur prius per afflictiones, & dolores, quod modo humile est, ait Augustinus, in trituris, in tribulationibus, in tentationibus, in tunsione pectorum. Ibi exaltabitur, inquit Cassiodorus, ubi omnis gloria præstatur. Primum, quia dexteram merentur: deinde cum Domino judicabunt: tertio in æternam pacem, gaudiumque transibunt: ut merito exaltari dicantur; qui usque ad ipsius Domini contemplationem mirabili ejus pietate perveniunt. Hilarius exaltationem quoq; istam cornu populi Dei ad beatę civitatis illius sęculum refert, & ad statum incorruptionis, honoremq; immortalitatis, quam designari putat per *cornu*. Bruno exponit exaltandum populum Dei in æterna gloria, propter *cornu*, idest, propter sublimitatem, quam habet hic in moribus, & in virtutibus, quæ per *cornu* acci[illegible]tur.

a ps. 44. 3.
b Gen. 22. 13.
c serm. 98.
d Luc. 1. 69.
e Joan. 8. 56.

Hymnus omnibus sanctis ejus.] Hieronym. *laus*, תהלה *thehillah*: & pro sanctis sunt חסידים *chasidim*, & ὅσιοι, de quibus vocabulis dictum sæpe. Trevet. & Hieron. recitat, *misericordibus ejus*. Possumus exponere, hymnus, lausve sit sanctis Dei; vel erit: vel illos decet, sicut alibi f, *rectos decet collaudatio*; ut nempe tales Deum laudant, hymnoque celebrent: vel jam est, habentque in promptu. Idem posset explicari; digni sunt hi hymno, & laude; & canatur, dicatur laus, & hymnus illis: aliquando dicetur, & canetur ipsis. Denique non deest, qui declaret, *exaltavit Dominus cornu populi sui ad laudem, gloriamque populi sui*. Hebræum nomen תהלה *thehillah* de [illegible] e divina dicitur, indeque liber hic appellatus est תהלים *thehillim*, & ab Augustino *hymnorum*, ut argumentatur contra ultimum sensum Genebrardus. Nihil vetat quo minus id tribuatur hominibus, præsertim sanctis, ac propter Deum, ut & religiosi alii nonnulli cultus. Immo Damascenorum civitas apud Jeremiam g, vocatur *civitas* תהלת *thehillath laudis*, ab Interprete nostro *laudabilis*. Attamen verior, & communior expositio est, ut ipsi sancti laudent Deum, & hymnum illius celebrent. Prior ille sensus indicatur satis aperte à Chrysostomo, [qui notat alium transtulisse ὕμνος *hymnus*, sed ἔπαινος *laus*) Basilio, Theodoreto, videlicet quod claros, celebres, gloriosos; laudabiles reddat Deus sanctos suos. non tantum fortes apud omnes. Quod venerationi sanctorum plurimum favet. In officio quoque omnium sanctorum videtur Ecclesia sic intellexisse antiphonam istam, copulans psalmo isti ad laudes, adjectis postremis psalmi sequentis verbis, *hymnus omnibus sanctis ejus, filiis Israel, populo appropinquanti sibi: gloria hæc est omnibus sanctis ejus*. Rickelius utrumque perstringit, quod & sancti laude digni sint, & Deum incessabiliter laudent. Juxta communiorem vero sensum, quem idem Chrys. primo loco ponit, & Euthym. ac Niceph. tradunt, exprimitque Apollinarius hoc pacto.

f ps. 32. 1.
g cap. 49. 25.

ὕμνος δ᾽ εὐκλεὴς μελέτω γενῆσι δικαίων.
Hymnus vero gloriosus curæ sit generationibus justorum.

Hymnum Domino canunt hic hi potissimum, qui peculiariter sunt populus ipsius, & perfectiores Israelitæ, ac eidem magis appropinquantes instituto vitæ sanctiori. Sed in cęlo beati perfecte absque impedimento id exequuntur non ut ceteri reges, inquit Hilar. aut principes, aut judices, pro virtutis & confessionis admiratione: sed pro gaudio consummatæ in se beatitudinis, & gratulatione cantantium. Augustin. requirens in hymno, ut sit canticum, & laus, & Dei, sive laus Dei in cantico, sanctis convenire dicit in fine, ut scilicet dicant hunc hymnum sempiternum, sacrificio laudis glorificent Deum, ubi via est, qua ipse *ostendit salutare suum* h, ubi seu *in domo ipsius, in sæcula sæculorum laudant eum* i. Quod merebuntur sancti, ait Cassiodorus, hymnus est Domini, quem tunc canent, quando & æterno munere coronabuntur. Isto enim præcepto, ulterius nil egebunt, sed illic erit quidquid non valet apprehendi, manna cœlestis, satietas infastidibilis, incomprehensibile donum, assidue hoc agere, & in eo studio semper ardere. Hymnus est ergo sanctorum cantus in laude Domini constitutus, cui anima, corpusque perfecta paritate consentit. Quem etsi hic modo videmur dicere cupide, tamen non possumus sine defectione peragere. Bruno *hymnum* sumit pro ipso Deo, & Christo, quoniam caussa hymni erit omnibus sanctis, quemque hi laudabunt laude æterna dilectionis.

h ps. 49. 25.
i ps. 83. 5.

Filiis Israel.) Per appositionem hoc dicitur, ut & sequentia de eodem Hebræo populo, qui sæpius cognominatur sanctus: quamvis Lyranus in priore membro per sanctos velit angelos intelligi. Vocantur quoque *filii Israel* Hebræi in ps. 102. K, & in aliis *filii* l *Jacob* & *Joseph*. De *filiis Israel*, sive de *Israelitis* secundùm spiritum, quiq; dicitur *Israel Dei* præsentem locum præcipue intelligendum monent fere omnes, nosque antea notavimus. Arnobius urget patientiam, & fidem Patriarchæ, per quas meruerit facie ad faciem Dominum Deum videre, unde *Israel* sit appellatus, idest, *videns Deum*, promitti autem his, qui filii ejus fuerint per imitationem, hoc est, per munditiam cordis, beatitudinem m. Sectatur tritam, etsi haud adeo veram, etymologiam *Israel*: & abutitur visione Dei facie ad faciem, quam vix Moysi concedunt nonnulli, ac ne vix quidem ego cum pluribus, si proprie loquamur. Cur peculiariter, & sæpius denominetur populus Hebræus à *Jacob*, sive ab *Israel*, alias ostensum est. Subtilius observat Cajetanus circa hæc, & priora, sequentiaque verba, laudantium Dominum conditiones quatuor, ut sint gratiosi (hos enim pro *sanctis* legit) idest, benefici erga alios, idq; propter Deum (quod pronomine *sui* importari vult) ut ex genere sint Patriarcharum (quod est esse *filios Israel*) hoc est, quibus promissio facta: ut populus, nempe redacti in statum libertatis: ut propinqui Deo, propinquitate, atque conjunctione cordis, & omnium virtutum, quæ respiciunt Deum.

K v. 7.
l ps. 76. 6. ps. 104. 6.
m Mat. 5. 8.
Laudantium Dominum conditiones quatuor.

Populo appropinquanti sibi.) Eodem pacto Hieronym. vel apud Trevetum; *propinquo sibi*, idest, inquit Trevet. qui est propinquus Deo. Chaldaice *qui appropinquat ei*: vel; *qui appropinquantes sunt ei*, דקריבין ליה *dekarivin leh*. Hebraice קרבו *Kerovo*, *propinquo ejus*: Campensis explicat, quod Deus, qui gloria (sic reddit pro *hymno*, sanctorum suorum est, ac filiorum Israel, est hujus etiam populi colentis eum, ita ut hoc sit Deo appropinquare. Alii declarant de familiaritate cum Deo per religionem, & alias virtutes, Nam fides, ait RicKelius, ostendit vitam, seu finem, terminumq; spes incipit tendere; charitas unit Deo, & ceteræ virtutes ea informatæ; quemadmodum è contrario per peccata receditur à Deo. *Prope est Dominus invocantibus eum in veritate* n; *appropinquat his, qui appropinquant ei* o, & similitudinem, ac imitationem ipsius consequi student, & mandatorum obedientia voluntati ejusdem conjungi, ac viva membra effici, *illi adhærere bonum* ducunt p, *unumque spiritum esse cum ipso* q. *Longe à peccatoribus est salus* r: & discedere jubentur à Deo *, *ne videant gloriam ejus* s, *& in tenebras exteriores mittuntur* t, qui *accedere ad eum* noluerunt, ut *illuminarentur* u; sed *lumini rebelles fuerunt* x: præterea quorum *cor longe est à Deo*, quamvis *appropinquent ore suo, & labiis ipsum glorificent* y: *prope est* Deus *ori eorum & longe à renibus eorum* z. De appropinquatione, conjunctione, adhæsione, unione maxima, & inseparabili per beatitudinem, & Dei visionem: qua maxime similes nos effici Deo scribit Joannes a, videtur Bruno intelligere; ut scilicet, non jam *quasi per speculum*, sed *facie ad faciem* Deus videatur b. Populus Hebræus propinquus erat, estq; Christo propinquitate carnis, ex illis enim ipse *secundum carnem* c: erat *populus appropinquans Deo*, quia propinquum habebat illum, idest, propitium, quod nomen derivatus à *prope*) cum nulla gens alia, *nationve ita deos habere appropinquantes sibi* d, erat appropinquans præsertim per suos sacerdotes, ad quos pertinebat ad S. & S. sanctorum propius, cum sacrificiis, accedere, propitiumque populo Deum reddere. In populo Christiano quanto divinior quasi consanguinitas, non modo per incarnationem, sed per corporis Christi realem sumtionem? quanta propitiatio illi ex propitiatorio illo sacrificio, in quo idem Christus adest, offerturque? Perpendit accurate Nazianzenus a, quanti res momenti sit Deo appropinquare, Moysis exemplo, cui uni Deus, cum legem daret, id permisit b. *Appropinquandi* verbum Hebraice קרב *Karau*, videtur sacrum, atque sacrificantibus usurpari solitum, sive de ministrantibus sacrificio. Sic in Levitico c, post interfectos filios Aaron, Nadab, & Abiu, quod obtulissent coram Domino ignem alienum; locutus Dominus fertur; sanctificabor in iis, qui appropinquant mihi בקרובי *be-Krovai*, *in propinquis meis*, nimirum sacerdotibus, qui me magis attingunt, & sunt magis domestici. Præterea in Libro Numerorum d, cum seditionem commovissent Core, Datan, Abiron contra Moysen, & Aaron, Moyses dixit; *mane notum faciet Dominus, qui ad se pertineant, & sanctos applicabit sibi, & quos elegerit, appropinquabunt ei* יקריב אליו *jakriu elau, appropinquare faciet ad se*, seu *applicabit ad ministerium suum*, ut reddit Chald. Paraphrastes. Denique in Deuteronomio e, habetur, quod *qui appropinquant pedibus Dei, accipient de doctrina illorum*: quamvis תכו *thucchu* explicet Vatablus, *qui insertisunt intra pedes ejus, adjunxerunt se pedibus ejus: sectati sunt vestigia ejus*. Oleaster, *qui percussi sunt ad pedes ejus*, quoniam discipuli solent verberari à magistro e existentes ad pedes ipsius, Populus totus Hebræus sanctus dicebatur, & quodammodo sacerdotio initiatus: sed propriè conveniebat id nomen, & sacerdotale officium certis personis ex Levitica tribu. A dicto Hebræo verbo profluit קרבן *Korban, ob[la]tio, & quodvis donum, quod offertur Deo*: quo ipso vocabulo appellatus videtur tempore Christi donariorum sacrorum locus, ærariumve sacrum, & gazophylacium f, non modo donaria g. Christianis contulit Christus *regale sacerdotium* h, ut regia nempe offerant ipsi sacrificia, & cum vivente Christo *essent appropinquantes ad illum publicani, & peccatores* i, non dubitent & ipsi *appropinquare ad pedes ipsius, ut accipiant* non solum *de doctrina* k, *illius*, sed etiam de meritis, ac vicissim ei, qui se obtulit pro eis, *exhibeant*, offerantque *hostiam viventem, & sanctam* l. Denique hæc veluti definitio, descriptiove fidelium censeri potest, ut dicatur *populus appropinquans Deo*, jugiter offerens se illi; numquam non accedens magisq; ad ipsum, proficiens in melius semper accessione virtutum, & majoris imitationis ejusdem Dei; numquam consistens, sed ad anteriora extendens seipsum m, promptus ad obsequia illius, impleri cupiens agnitione voluntatis ejus in omni sapientia, & intellectu spiritali n. Appropinquamus, accedimus, progredimur, tendimus in hac vita, *peregrinantes à Domino* o, donec ad illum perveniamus, *eum teneamus, nec dimittamus* p, sed *adhæreamus, quod nobis bonum* q, immo optimum est, *parsque optima, quæ non auferetur* r, *gaudium quod nemo tollet à nobis* f.

n ps. 144. 18.
o Jacob 4. 8.
p ps. 72. 28.
q 1. Cor. 6. 17.
r ps. 118. 155.
* Mat. 7. 23. cap. 25. 41.
f Esa. 26. secund. LXX.
t Mat. 8. 12. cap. 22. 23. cap. 25. 30.
u ps. 33. 6.
x Job. 24. 13.
y Esa. 29. 13. Mat. 15. 7. 8.
z Jer. 12. 2.
a 1. ep. 3. 2.
b 1. Cor. 13.
c Rom. 9. 3.
d Deut. 4. 7.

a in apolog.
b Exod. 19. 12.
c c. 10. 1. 2. 3.
d cap. 16. 1. 2. 3. 4. 5.
e cap. 33. 3.
f Marc. 12. 41. Luc. 21. 1. Joan. 8. 20. Matt. 17. 6.
g Marci 7. 11.
h 1. Pet. 2. 5. 9. Apoc. 1. 6.
i Luc. 15. 1.
k Deut. 33.
l Rom. 12. 1.
m Philip. 3. 13.
n Coloss. 1. 9.
o 2. Cor. 5. 6.
p Cant. 3. 4.
q ps. 72. 28.
r Luc. 10. 42.
f Joan. 16. 22.

Alleluja.) Relege dicta in fine psalmi præcedentis: ubi docui non videri verum, quod hoc loco Remigius tamquam ex vero refert Hieronymus, in quocumque psalmo habetur *alleluja* in principio, habere alterum in fine. Traditum est id à putato Hieronymo, ad initium dicti prioris psalmi. Græci prætermittunt, & Arabes, Æthiopes, Illyrici, ut ibidem notavi.

PSALMUS
CENTESIMUSQUADRAGESIMUS NONUS,

Alleluja.

1. CAntate Domino canticum novum: laus ejus in Ecclesia sanctorum.
2. Lætetur Israel in eo, qui fecit eum: & filii Sion exultent in Rege suo.
3. Laudent nomen ejus in choro: in tympano, & Psalterio psallant ei:
4. Quia beneplacitum est Domino im populo suo: & exaltabit mansuetos in salutem.
5. Exultabunt sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus suis.
6. Exaltationes Dei in gutture eorum: & gladii ancipites in manibus eorum.
7. Ad faciendam vindictam in nationibus: increpationes in populis,
8. Ad alligandos Reges eorum in compedibus; & nobiles eorum in manicis ferreis.
9. Ut faciant in eis judicium conscriptum: gloria hæc est omnibus sanctis ejus. Alleluja.

Titulus, & Argumentum.

Alleluja.

NIhil in ulla editione aliud habet psalmi titulus, nisi *alleluja*: quod alibi declaratum non sit, quod nos nunc moretur. Argumentum est obligatio populi Hebræi, ut Dominum supra cunctas alias gentes laudet, qua in eo sibi Dominus magis complacuerit, & majoribus beneficiis eum affecerit, gloriosiorem reddiderit victoriam de hostibus, illorumq; regibus contulerit, & collaturum adhuc pro occasione promiserit. Hoc Græci proprie accipiunt de populo, qui ex captivitate Babylonica nuper liberatus reversusq; cum alio hoste conflixit, ac eum vicit. Addit Chrysost. & Theodor. πρόῤῥησιν τῶν ὑπὸ τῶν μακκαβαίων κατορθωθέντων *prædictionem rerum à Machabæis gestarum*. Idem, & is qui dicitur Basilius, præterea Euthymius, citans Gregorii Theologi orationem de encæniis, docent secundum anagogen (quæ allegoria quoq; dici potest; & melius) tractari de novo Testamento i, *nova creatura* u, *novo homine* x, sive de illis qui nova effecti sunt creatura, perque testamentum novum, hominem novum induerunt. Nazianzen. in oratione 43. quæ est in novam Dominicam, simul præterea in veris tempestatem, & in sanctum Mamantem, non procul ab initio, scribit, quod canticum novum canere jubemur, tam qui in Babylonem, ac pravam confusionem à peccati pertracti servitute, ac deinde Jerusalem incolumes reversi sumus, atque illic quidem, ut *in terra aliena*, canticum divinum canere minime poteramus y, hic autem novam cantionem, vitæque rationem instituimus, quam, qui in virtute perstitimus, novosque subinde in eo progressus facimus, innovatorisque spiritus ope, atque auxilio, virtutis muneribus partim jam functi sumus partim fungimur, Scholiastes Nazianz. Nicet. z, eadem inculcat; & de vita nova agi, novisq; mandatis, novaq; gratia, novis pollicitationibus, novis sacramentis, novis præceptis: item quod conveniat canticum istud non tantum ex spirituali reversis captivitate per pœnitentiam, vitæque rationem novam ineuntibus; verum etiam his, qui talem captivitatem nequaquam pertulerint, sed virtute tamquam in patria manserint, ac proficiendo novos subinde virtutis progressus fecerint. Denique Rex Christus canendus proponitur suos salvaturus, potestatem ultricem in gentes ac adversarios omnes tùm invisibiles, tùm visibiles, daturus. Athanas. de psalmo hoc scribit ad Marcellinum eadem quæ de priore, ultimoq; ac aliquot prioribus, quod habet ὑπακοὴν τὸ ἀλληλούϊα: & quod sit commodus volenti Deum laudare, & cognoscere, quomodo, & quibus in rebus laudandus sit, & quæ verba ad illius laudem dicenda sint: & quod sit ex iis, qui laudes celebrant. Peculiare item esse dicit, esse προτρεπτικὸν μετὰ ᾄσματος *adhortatorium cum cantico*.

Titulus superius explicatus; Argumentum.
i Jer. 31. 31.
u 2. Cor. 5. 17.
x Coloss. 3. 10.
y ps. 136. 4.
z num. 4.

Vers. 1.) Cantate Domino canticum novum, laus ejus in Ecclesia sanctorum.

VIdetur hic versus extremo priori psalmo nexus, ut Hilarius quoque annotavit, & Hugo Card. ubi hymnus omnibus sanctis dicabatur filiis Israel, populo appropinquanti ad Deum. Et quia cum sequenti etiam psalmo hic ipse conjunctionem habet, hac forsitan de causa, præter alias, in fine laudũ tamquam unicus tres isti psalmi canuntur, hymnum doxologicum, sive *Gloria Patri*, &c. reci-

Sensus loci

recitando, quum ad finem ultimi pervenitur. Idem animadvertum lego à Gillebertо Abbate *a*, qui ad Bernardi sermones in Cantica adjectus est; nempe, quod David, quum omnem creaturam in laudem Dei prius concitasset, in has erupit voces, *Cantate Domino canticum novum, Laus ejus in Ecclesia sanctorum*. Itaque sanctos, qui sunt filii Israel, populus appropinquans Deo, hortatur David, ut illi cantent canticum novum, ideſt, exquisitum, jucundum, gratum, iterum, iterumque, ac millies, & infinities, absque tædio, repetendum: ſpectans item ad renovationem tùm temporalem, tùm præſertim ſpiritualem; novo ſemper ſpiritu, & guſtu decantandum; quo celebretur non ſolum creationis, & gubernationis divinæ beneficium, quod habgri vetus poteſt, & eſt commune aliis creaturis, etiam inanimatis, ſed præterea, potiſſimumque, renovatio per gratiam juſtificationis, atque futuræ glorificationis, & ſecundum animam & ſecundum corpus. Atque hoc Sanctis majorem in modum commendatur, quoniam nullibi meliùs celebrari laudem Domini decet, oportet, poſſibile, eſt, quam in Eccleſia, cœtu, choro, concilio, congregatione ſanctorum, qui videlicet ipſi dicati ſunt; & ad ſanctitatem gratiæ, atque gloriæ vocati. Indicat inſuper Propheta, canticum iſtud, & pſalmum hunc, eſſe privatim, ac ab unoquoque, & nemine audiente, uſurpari poſſe; hujuſmodi tamen eſſe, adeo lætum, feſtivum, & tam commune omnibus; magnique momenti argumentum continens, ut decãtari, vel recitari maxime, ac per ſe non debeat, niſi quum collecti plurimi fuerint, & convenerint ad ſolemniter colendum Deum. Digreditur longo & pio ſermone Auguſtinus, ut novitatem cantûs demonſtret pertinentem ad novum Teſtamentum, renovatùmque hominem; nec temporalia, ſed æterna, quæ nunquam veteraſcunt, diligentem, ideſt, Chriſtum, ut Deum, & vitam æternam: præterea ad hominem non amplius *veteraſcentem inter inimicos* b, per peccatum, ſed renovatum per gratiam, non à conjunctione ſanctorum, in qua pax eſt, & canticum pacis per vetuſtam animoſitatem ſeipſe ſeparantem, ſe intra illam ſeſe continentem per novam charitatem, ut, quod in alio pſalmo *c*, habetur, *cantate Domino canticum novum omnis terra*: non angulus Africæ, non Donatiſtæ ſoli, non ſchiſmatici, non illi, qui ſe à compage Chriſti, charitatis, & à ſocietate ſanctæ Eccleſiæ ſeparant. Urget multis verbis parabolam boni ſeminis & zizaniorum *d*; quod frequenter facit quoties nimirum eadem de hac re meminit. Tandem concludit, rem benè ac diligenter hoc noſtro tempore notandam. Ergo *Eccleſia ſanctorum* Eccleſia Catholica eſt: *Eccleſia ſanctorum* non eſt Eccleſia hæreticorum: *Eccleſia ſanctorum* illa eſt, quam præfiguravit Deus antequam videretur, (videri autem Eccleſiam viſibilem vocet) & exhibuit, ut videretur. *Eccleſia ſanctorum* erat antea in codicibus (etiam in Hebræis, & aliis veris Dei cultoribus) modo in gentibus, (ſecundùm amplitudinem illam ſuam, & alias notas, privilegiaque.) *Eccleſia ſanctorum* antea tantummodo legebatur, credebatur, prout nempe poſtea fuit, illa, qua dixi, ratione) modo videtur. (en jam tertio viſibilem Eccleſiam) & contradicitur. Cyrillus Jeroſolymitanus *e*; præſentem locum de Eccleſia quoque, ſeu de variis per univerſum Orbem Eccleſiis Chriſti multiplicatis, una, quæ erat in Judæa rejecta, explicat ſimul proferens alia Scripturarum teſtimonia, tùm ex pſ. 25. f *Odivi Eccleſiam malignantium in Eccleſiis benedicam te, Domine* præterea ex Malachia g, *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens: propterea ab ortu Solis uſque ad occaſum nomen meum laudabitur in gentibus*. Gillebertus *h*, quem antea nominavi, ſententiam hujus loci totam ſic elegantèr enarrat. Vere novum canticum, cujus neſcit antiquitatem materia, ſuſcipiam gratia, quæ ſemper eſt amore recens, uſu recentior. Vere novum, quod hominum animos ad æternam innovat beatitudinem. Denique legitur. *Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueaminî*: nova quoque ego facio. Jure nova, quæ ab antiquo currentis naturæ nequaquam concluſa ſunt legibus: *Laus ejus in Eccleſia ſanctorum*. Quodam utique excellentiæ privilegio, non tantum æquitatis diſpenſatione, ſed gratuito ſanctitatis dono ac munere. *Laus ejus in Eccleſia ſanctorum*; quoniam ita laudem ejus ſanctorum oſtendit actus, ut illam attentat affectus. Sancti enim excellenter gratiarum dona ſuſcipiunt, devotionem perſentiunt, gratulationem perſolvunt. Ideo quodam laudatur privilegio *in Eccleſia ſanctorum*. Extra Eccleſiam laudatur miniſterio inſenſibili, & muto rerum, vano hominum. In rebus inſenſatis conditio, in hominibus non renatis aliquanta cognitio, in neutris tamen dilectio. Nam dilectio Conditoris tui, in primis nulla, in ſecundis non ſancta. *Laus ejus in Eccleſia ſanctorum*. Sanctus enim, & quæ condita ſunt, ut naturaliter ſint; & quæ diſpenſata ſunt, ut inconvenienter, & inordinate non ſint; & quæ prædeſtinata ſunt, ut beata ſint, univerſa pereuntur; & æſtimat, quantum datur, ut per hæc Auctoris juxta vires colligat notionem, migret ad æmulationem, rapiatur in affectionem, &c. Valent hæc, quæ omitti non debuerunt, ad ultimi quoque verſus ex priore pſalmo intelligentiam, *hymnus omnibus Sanctis ejus*, &c. Joannes Nider *K*, diſputans de reformatione Religioſorum, occurrenique dicentibus novitatem eſſe, & ſingularitatem, docet hoc etiam teſtimonio, ſive pſalmi 95. & 97. in quibus idem reperitur novitates bonas eſſe quinque; novitatem cordis per pœnitentiam, quod appellatur *cor novum* l; oris, ut verbum vitæ cantetur, ac prædicetur, quod eſt peculiariter *cantare canticum novum*, & *linguis loqui novis* m; converſationis, quæ vocari poteſt *nova conſperſio* n; bonæ famæ, ac nominis, quaſi hoc ſit *vocari nomine novo, quod os Domini nominet* o: vitæ, viaque quam *viam viventem initiavit Chriſtus nobis in ſanguine ſuo* p. Cæterum per *ſanctos* juſti quidem abſolute intelliguntur; nihilominus dicuntur eo etiam nomine, quicumque intra Eccleſiam ſanctam ſunt, quamvis peccatores. Licèt verò *ſpecioſa laus non ſit in ore peccatoris* q, tamen ſi ſua deteſtetur peccata, ſicut Publicanus r, cenſebitur ſpeciola, ut innuit alio loco Auguſtinus ſ. Magis tamen propriè Bernardus *t*, negat eſſe ſpeciolam & decoram, quia adhuc de peccati recordatione & memoria confuſionem patitur, & frequenter inde compungitur; ſed utilem & fructuoſam: ſubdit, poſtquam de beneficiis Dei proficiens adhæret divinę laudi, & in ea aſſiduè delectatur, & proficit ita, ut nihil aliud placeat ei, tunc in ore ejus eſſe ſpeciolam laudem Dei. Aſſert exemplum agricolę, qui dum ſtercorat agrum ſuum, totus in luto eſt & ſtercoribus, nec eſt pulcher labor ejus, etſi ſit fructuoſus: ted quando colligit manipulos ſegetis, tunc labor eſt ſpeciolus & dulcis. Quadrat ſimilitudo adhuc magis his, qui perfectè dici Sancti poſſunt, hoc eſt, beatis, & qui Deum continenti laude ter ſanctum celebrant, quemadmodum hic innuitur ab Hilario, ſecundo loco juſtis in hac vita convenit hæc ſanctorum laus: primo, ſed infimo, fidelibus intra Eccleſiam conſtitutis. De ſecundis in vitæ novitate ambulantibus communior expoſitio: Eam Arnobius paucis perſtringens, dicit, quod *canticum novum cantamus Domino*, quando in novitate vitæ ambulamur *in Eccleſia ſanctorum*, & exemplo vitæ, ac morum noſtrorum, ædificationem dominicæ congregationi exhibemus.

Cantate Domino canticum novum.) Chaldaicè: *laudate coram Domino hymno novo*. Cantum voce promtum magis exprimunt Hebræa שִׁירוּ שִׁיר *ſciruſcir*, & Græca ἄσατε ἆσμα. Latinè nonnumquam *canere*, ſeu *cantare*, & *cantus* uſurpatur etiam de inſtrumentis muſicis, ut *canere receptui, canere tubis, buccinis, tibiis, fidibus, lituo, avena, cithara, nervis*, &c. Sed aliarum linguarum vocabula non videntur aliter accipi, quam de voce humana, vel certe quod ad Græca ſpectet, de voce animalis, ut galli gallinacei. Dicunt enim Greci περὶ ἀλεκτρυόνων ᾠδάς, *circa gallicinium*. Præter prius dicta, & in pſalmo 95. ac 97. quorum eſt idem cum iſto initium, Bonaventura cantandum nobis monet pro præparatione mundi, ut elevemus vocem, per aſcenſum ad contemplationem Dei, & frangamus per deſcenſum compaſſionis erga proximum. Cayeri quoque vult cantum Luciferi, qui alta, inquit, voce in cœlo antiphonam inchoavit *u*, *Aſcendam in cœlum, & ero ſimilis Altiſſimo*; cantandum autem, ait, cum Chriſto, qui ab imo incipit *x*, *Diſcite à me, quia mitis ſum*, &c. in cantu Luciferi obſervat vocestres diſſonas, diſcordeſque, elationis, ſuggeſtionis, deſperationis: totidem in cantu Adæ, quod credidit diabolo, quod ei conſentit, quod ſe excuſavit.

Laus ejus in Eccleſia ſanctorum.) In Romano Pſalt. & Ambroſiano, apudque Hilarium, & Caſſiodorum *laudatio*. Hieronymus, & Auguſtinus in Speculo, *in congregatione*, quæ Græcè melius dicitur συναγωγή, ſicut in pſalmo 149. ἐν ἐκκλησίᾳ, ubi eſt Latinè *congregatio*, quam ἐκκλησίαν. De utraque voce actum aliàs. Pro laude, ſive laudatione, quam ἔπαινος ſignificat, erat priore pſalmo *hymnus*: ſed *laus* in tranſlatione Hieronymi, ac ἔπαινος, loco τῦ ἔμνε, apud alium interpretem; quum ſit idem in ambobus locis Hebræum nomen תְּהִלָּה *thehillah*. Poſtremo utrobique *Sancti* dicuntur ὅσιοι, & חֲסִידִים *chaſidim*, quod alii *pios*, & *miſericordes* interpretantur: quod alibi quoque expendimus; ſenſus autem eſt, vel per modum hortantis, imperantiſve, quemadmodum in priore membro, videlicet, *laus ejus ſit*, aut *eſto in Eccleſia ſanctorum*: vel per modum aſſerentis, nempe, *laus eſt in Eccleſia ſanctorum*, ab eo laudatur Deus, laudari eum decet ab ipſa. Diſtinguit Hugo Cardinalis modis diverſis circa laudem Dei ſe ſe habentes. Nam ſilent infideles qui *os habent, & non loquuntur* a, & quibus injungitur *facere, nec recordari nominis Domini* b: blaſphemant hæretici, prava docendo, & prædicando; & mali Chriſtiani, ignominiola de Deo dicendo, digni, quos *lapidet univerſus populus* c: inſaniunt, & ululant Clerici, ad gloriam cantantes, quam *tumultum carminum auferre* præcipit Deus *cantoris ſui* d; ſient, qui nequeunt complere voluntatem ſuam malam, quemadmodum mulieres illæ, quæ plangebant Adonidem e: vel ex deſiderium patriæ cœleſtis: quo pacto ſtebant in captivitate Babylonica Judæi g: cantant, qui placata ſunt conſcientia, quale meretricis canticum *h*, eſt ad virum reverſæ: id vero facere debent, ita ut *cantatio eorum ſit ſemper in Domino* i, ſive de Domino, item pro Domino, expectando ab ipſo lucrum, præmiumq; non temporale: adhæc, Domino, ideſt, ad honorem ipſius, & *quærendo quæ ſunt ejus* k. De hoc eodem argumento incidit nobis mentio non infrequens in hoc opere, quod totum nihil aliud eſt fere, quam laus Dei, & exhortatio ad eam. Unde, ut etiam monui, hymnorum, ſive laudum inſcribitur Hebraice סֵפֶר תְּהִלִּים *ſepher thehillim*.

a Pſ.113.5. b Amos 6.10
c Lev.24.14. 9
d Am. 5.23
e Ezec.8.14 f Heb.12.26 17. g Pſ.136.1. h Eſa.23.15
i Pſ.70 6.
k Philip.2.21.
l de reſor reli.c.6.7
Quinque novitates bonæ.
l Ezech.36. 26
m Marc. ult.27
n 1.Cor.5.7
o Eſa.62.2
p Hebr.10.13
Quomodo intelligendum ſpeciſam non eſſe laudem in ore peccatoris.
q Eccl.15.9
r Luc.18.13 & ſeqq.
ſ Lucæ, Patrem. cap.12
t ſerm.45. in parvis.

Verſ. 2.) Lætetur Iſrael in eo, qui fecit eum; & filii Sion exultent in Rege ſuo.

Senſus loci.

POteſt exiſtimari alluſio hic eſſe ad eos, qui in fine præcedentis Pſalmi vocati ſunt *filii Iſrael*, & *populus appropinquans Domino*: præſertim, quod ad populum iſtum pertinet, quoniam in Jeruſalem, quæ denominatur à ſui nobiliore parte Sion, & in hac ipſa parte, propter templum in Moria, quæ ipſius adhuc pars quædam eſt, Religioſius laudabuntur, & colebatur Deus. Ergo invitantur Hebræi omnes, ſive Iſrael univerſus, ac filii Iſrael, filii item Sion, habitatoreſve Jeruſalem, & qui eam, illiuſque templum, vel tabernaculum (quia templum nondum exiſtebat vivo Davide) frequentabant, ut lætæ, ac exultanter celebrent laudes, atque gratiarum actiones Domino & Regi imo à quo ſacti, & eximiis affecti ſunt beneficiis; atque ab eodem ſingulari benevolentia, & cura reguntur. Hæc nimirum laudis, hymni Pſ. materia, hoc-que ipſum Pſ. prioris veritis continebatur *l*, *exaltavit cornu populi ſui*, lætitia ilta, & exaltatio convenit multo magis Iſraeli ſecundùm ſpiritum, qui & *Iſrael Dei* dicitur, nec non filius Sion ſpeculantis Deum hic per fidem, & in patria per gloriæ lumen. Hos Deus fecit, non tantum creando naturam, ſed eam reficiendo, ac donando gratiam, promittendoque gloriam, & efficiendo, ut eſſent Iſrael, qui & Jacob, ideſt, ut prævalerent adverſus Deum ipſum in lucta: tum vero filii Sion, hoc eſt, ſpeculatores gloriæ ipſius. *Exultans juſti in Domino, & rectos decet collaudatio* m, ut nempe ipſum collaudent. Conjuncta ſunt hæc inter ſe, ac ſeſe concomitantur, laus Dei vera, & lætitia, exultatioque illius, qui Deum laudat. Quod ſi vulgarem ſequaris *Iſrael* notionem, pro *vidente Deum*, quod lætius, quam videre illum nunc in ſpe per ænigma, ſpeculum, fidem, poſtea in re per ſpeciem, per charam viſionem, & facie ad faciem. Atque idem eſt de *Sionis* etymologia pro *ſpeculatione*, quæ pariter duplex attendi poteſt, tum obſcura, tùm clara. Erunt omnia in patria poſt Reſurrectionem ſubjecta Chriſto, *quum tradiderit Deo, & Patri Regnum* n, & *pater poſuerit inimicos ejus ſcabellum pedum ejus* o. Beatus populus, ait Caſſiodorus, lætari, & exultare in Rege ſuo Chriſto Domino commonetur; quando ipſum viderit omnipotentem, ipſum æterni præmii largitorem, quem hic credidit in ſua majeſtate victurum. Quis enim erit, ſubdit ille, illius gaudii modus, conſpicere illum Dominum rerum, qui hic mori creditus eſt pro ſalute cunctorum; menſuram quidem iſtius lætitiæ jure (vere) neſcimus, ſed tamen ultra omnia bona eſſe confi-

Adimus, quod tanta veritas pollicetur. Ita Caſſiodor. nec dubium quin ſi dici poteſt, majus ſit beati gaudium de gloria Dei, & Chriſti, quam de propria. Certe ſecundum æſtimationem majus eſt, quia pluris facit beatus illum, quam ſe ipſum. Quod etſi quadam proportione verum eſt, ſi comparetur minus cum magis beato; abſolute, & ſimpliciter longe veriſſimum eſt reſpectu Dei, & Chriſti. Auguſtinus porrò elicit mortale monitum, & alii poſt ipſum, ne quis lætetur; aut exulter in ullo homine, ſed in Deo dumtaxat, qui fecit ipſum. Se ipſum vero nominans, ac vetans, ne quis lætetur, exulcetve in ſe Auguſtino, ut nec in Ario, Donato, Cecilliano, Proculiano, ſic loquitur. Nos fratres, non vobis commendamus noſmetipſos, ſed commendamus vobis Deum, quia commendamus vos Deo, &c. Ergo ipſe eſt, in quo debemus lætari. Nemo ſibi arroget, nemo ſibi deroget partes ipſius: ab ipſo eſt lætitia, quæ nos fecit felices. Huc ſpectant crebræ aliæ adhortationes, ut *lætentur, in Domino, & exultent juſti* p, ut *epulentur, & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia* q: ut *exultent ei, & jubilent in ſalutari ſuo* r, ut *gaudeant in illo ſemper* ſ, ut *introeant in conſpectu ejus in exultatione* t, ut *jubilent in conſpectu Regis Domini* o, ut *exultent, & lætentur ſuper ipſum omnes quærentes eum* x, ut *delectentur in eo* y, &c. Sed quia dum hic ſumus plenum eſſe gaudium, & exultatio nequit, ſed *exultandum eſt Domino, cum tremore* z, tantumque *adimplebimur lætitia cum vultu ipſius* a: nec ante *ſatiabimur*, quam *apparuerit gloria illius* b: propterea ſic ad exultandum invitamur, & jubilandum, ut ſimul *ploremus coram eodem, qui fecit, nos* c.

Lætetur Iſrael.) Chaldaicè in textu Nebienſis, *lætentur, qui ſunt de domo Iſraelis*. In *lætandi* verbo Chryſoſtomus, attendit affectionem, amorem, ardens deſiderium, omnino dedicatum, ac deditum Deo animum: ut & in aliis Pſalmis, in quibus comparatio ponitur terræ ſitibundæ *d*, & cervi ſitientis *e*. Profert quoque Pauli ſ, exemplum, qui, quod differretur, ex hac vita exceſſus, ingemiſcebat. Etymologiam *Iſrael* alias docui triplicem tradi præcipue, ut ſit *vir videns Deum, rectus cum Deo, ſive placens, prævalens cum Deo*, ſive *adverſus Deum*: & poſtremam veriorem, ac exactiorem videri à שָׂרָה *ſarah dominari*, & אֵל *el, Deus* C& littera י *jod*, quæ initio ſolet denotare nomina propria, vel ab יִשְׂרֵה *iſreh* dominabitur, & אֵל *el, Deus*. Aliæ duæ non ſunt rejiciendæ, prima potiſſimum, quam plurimi Patres ſequuntur, & interdum periti linguæ Hebraæ, hocque loco Auguſtinus, qui quamvis fateatur illam ſe linguam ignorare *g*, teſtatur tamen habuiſſe ſe nominum Hebræorum interpretationem à doctis viris *h*. Derivatio tunc eſſet à רָאָה *raah, videre*, & אֵל *el* Deus, & littera י *jod* formatrice, ut dixi, nominum propriorum, & שֶׁ *ſce, qui*, vel à יֵשׁ *ieſch, eſt*; vel ab אִישׁ *iſch, vir*, nimirum *videns Deum*, aut *eſt videns Deum*, aut *vir videns Deum*. Sic autem ex verbo רָאָה *raah* ſola eſſet in dicto nomine littera ר *res*, & integrum nomen אֵל *el*: aut ſi ex eodem verbo ſit etiam א *aleph*, eſſet dumtaxat ex אֵל *el* & *lamed*. Quam negare non poſſumus eſſe difficiliorem nominis deflexionem, ſive reſolutionem; faciliorem vero allatam protertia ætymologia; vel pro ſecunda, quæ eſt à יָשָׁר *jaſcar, eſſe rectum, & placere*, atque ab אֵל *el. Deus*. Neque curandum adeo de notis, punctisque, videlicet, quod nunc in nomine יִשְׂרָאֵל *Iſrael* imprimatur punctum lateri ſiniſtro D litteræ שׂ *ſin*, quod indicat eſſe à שָׂרָה *ſarah, dominari*, ubi punctum eodem pacto notatur: cùm ſive ab אִישׁ *iſch, vir*, ſive à יֵשׁ *ieſch, eſt*, ſive à יָשָׁר *iaſciar rectum eſſe*, ponatur in dextro: curari id, inquam, valde non debet; quoniam vetuſtiores non prætabantur hiſce punctis notiſq; ſed eſt recentius inventum, poſt nativitatem Chriſti annis plus quadringentis. Hoc alias monui, & non indiligenter docui de nominis iſtius notatione. Placuit nihilominus obiter hic repetere ſub finem operis, quoniam non amplius occurret. Hoc ipſo loco Gulielmus Scepræus eadem attingit, & noſter Delrius in Geneſin *i*, ubi favet primæ ſententiæ ratio nominis ab Angelo reddita Patriarchæ Jacob, quum cognominatus eſt *Iſrael, quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines prævalebis*, quod apud Oſeam *k* habetur, & *invaluit ad Angelum* אֶל-מַלְאָךְ וַיִּשַׁר *vaiſaſar el malach*: ſed illud אֵל *el* præpoſitio eſt, non nomen Dei: ut idcirco parum referat, quod litteræ omnes nominis יִשְׂרָאֵל ibi extent, quamvis id quidam *l*, obſervari velint. In Geneſi exprimitur שָׂרִיתָ *ſaritha*, & nomen אֱלֹהִים *elohim*.

In eo qui fecit eum.] Hieronymus, & in ſpeculo Auguſtinus, *in factore ſuo*. Alias noravi façere aliquem Hebraicè per

p Pſe.31.12. Pſ. 33.1.ſſ. 60.1.
q Pſ.67.4.
r Pſ.94.1.
ſ Philip.4.4.
t Pſ.99.2.
u Pſ.97.6.
x Pſ.69.5.
y Pſal.39.4. Pſ. 101.34.
z Pſ.2.11.
a Pſ.15.11.
b Pſ.16.15.
c Pſ.94.6.
d Pſ.61.2.ſ.
e Pſ.41.2.ſ
f 2.Cor. 5.2. Etymologia Iſrael, triplex.
Jod litteræ formatrix nominum Propriorũ.
g Epiſt.134 h in Iſ.33.
Puncta linguę Hebraicæ annis plus, quadringentis confirmatia.
i cap. 32.
k cap.12.5.
l Delr.ſup.

cè per verbum עשה *bhasah*, non esse simpliciter, ac quo-cumque modo facere sed cum quodam ornatu, elegantia, dignitate, potestate; & ad id efficiendum adhibere curam, studium, diligentiam, artem, elaborationem. Hoc sibi vult apud Job *a*, *ecce behemoth, quem fecit tecum*: & in historia Regum *b*, *Dominus, qui fecit Moysen, & Aaron, & eduxit Patres nostros de Ægypto, adest*: hoc est, qui duos illos populi duces, tot clarissimos apud Hebræos, universasque gentes, & apud Pharaonem Ægyptique populum, tam terribiles. Paulus *c*, quoq; sensu eodem scripsit Christum *fidelem esse ei, qui fecit illum*, hoc est exaltavit. Sic ergo *Iatori* jubetur etiam *Israel in eo qui fecit eum*, idest, tot muneribus ornavit, *formavit*, ut laudem ipsius *narraret*, *creavit, ut laudaret*, *populum acquisitionis esse* voluit, *ut virtutes ejus annuntiaret*, *qui illos de tenebris vocavit in admirabile lumen suum*. Denique in eo, qui salvum fecit eum, refecit, recreavit, redemit. Prius recitavi ex alio psalmo, nobis quoque plorandum coram Domino, qui fecit nos, non tantum lætandum, ac ne simpliciter quidem lætandum quamdiu hic in lacrymarum valle degimus. Ceterum, quia participium Hebræum cum affixo est numeri pluralis, עשיו *bhosau*. Genebrardus indicari vult Mysterium Trinitatis: quod & aliis exemplis confirmat Job *b*, & Etaiæ, in quibus est ejusdem verbi plurale participium.

Et filii Sion.] Addita est conjunctio, quæ deest Hebraicè. In multis codicibus Bibliorum, Breviariorum, tùm nostrorum, tùm Ambrosianorum, nec non aliorum Scriptorum, erant *filiæ*, immò, & quidam Enarratores in hoc genere fœminino declaraverunt pro animabus fidelium, ut Hugo Cardinalis, Ayguanus, Ludolphus, Pampolitanus, Bruno; aut pro variis Ecclesiis, ut Lyranus, ac Turrecremata: aut pro fragiliore sexu, ut Haimo, contra illos, inquit, qui dicunt fœmineum sexum non esse redemtum, aut, ut Remigius, & iterum Bruno, pro iis qui sunt perfectiores, & præcipuè ornati virtutibus ad modum filiarum, quibus major cultus diligentius adhibetur. Sed genere masculino *filii* legi debent, ut est etiam restitutum in emendatis Bibliis, extatque in Psalterio vetere, & Romano, ut & apud Hilarium, & Augustinum, Prosperum, putatum Hieronymum, Arnobium. Nam Græcè sunt υἱοὶ Hebraicè בנים *banim*. De vocabuli *Sion* etymo, & mysterio diximus alias. Bruno tropologiam tradit hujus, præcedentisque membri, ut quicumque cantantium ad hoc dignitatis ascendat, ut jam hic fiat *Israel*, idest, *videns Deum in contemplatione*, non ex hoc lætetur in se, ascribendo sibi, sed in eo, qui per gratiam fecit esse talem; præterea, ut qui sunt filiæ, seu filii Sion, & spirituales filii Dei per gratiæ adoptionem, & æterna speculantur, non in se superbè de hoc exultent, sed in Rege suo.

Tropologia

Exultent in Rege suo.] In Romano Psalterio, *super Rege suo*, in Ambrosiano, apudque Hilarium, & Cassiodorum, *super Regem suum*. Græci tantant præter beneficium creationis, sive, quod fecerit Deus Israel, filiosque Sion, quemadmodum ceteros homines, peculiarem providentiam, & majorem familiaritatem. Nicephorus addit τοῦτοι βασιλέα ὑπὲρ ψυχῶν βούλεται, *talem Regem super animas postum*. De Filio Dei Augustinus interpretatur, qui fecit nos, & factus est inter nos, simul rex, simul sacerdos, ac utroque nomine Christus, idest, unctus, à quo nos Christiani: ut Rex verò pugnavit pro nobis, ut sacerdos obtulit se pro nobis. Rectè David Rex, qui suum alibi *k*, vocat regem Deum, aitque quod *rex*, sive ipse, sive alius, *lætabitur in Deo*, & *sperat in ipsum*, hic appellat *Regem populi Israel*; & alius communiter *nostrum* n, idest, suum æque, ac populi, & iterum *Regem sanctii Israel* o. Oportet quemvis, quantumvis maximum Regem, agnoscere majorem sup a se, terque, aciinfinities magnum Regem Deum: nec tam ab se homines, quam à Deo Regi. Regnabat peculiariter, ac immediato quod modo magis Deus super Israel, antequam flagitassent sibi regem hominem. Id eidem displicuit Deo, non tantùm Samueli, qui, ut judex, non Rex, administrabat rempublicam: & ad Samuelem dixit Deus; quod *non eum abjecissent* Hebræi, *sed se ipsum ut regnaret super eos* p. Etsi verò Rex. Deus erat, ratione quadam magis ante hoc tempus, Hebræorum, ut dixi, non memini hoc umquam nomine appellatum, nisi post permissionem, ut hominem sibi constituerent Regem. Quasi re, atque facto, & spontanea populi subjectione contentus fuerit; deinde quum eum titulum homo accepisset, ad retundendum illius fastum, & exprobrandam constituentium sibi regnum ingratitudinem, voluerit id sibi quoque nomen vindicare. Quo pacto Christus Rex fuerit, an etiam temporalis, alibi disputatum est: tum præterea in quo consistat regnum spirituale illius, & quomodo ipsum regnare super suos oporteat,

---

Vers. 3.] Laudent nomen ejus in choro, in tympano, & psalterio psallant ei.

Sensus loci.

PRæter canticum cantumve, qui ore fit, voce, sermone; instrumentorum musicorum requirit sonum ad laudandum Dominum factorem Regemque, qui sonus, vel manus editur pulsu, vel flatu, adhibito simul choro: non tam quam vocaverat prius Ecclesiam Sanctorum, quam cœtum concinentium cantorum. Quamvis aliis videatur chorus musici genus instrumenti esse. Præstat de hoc, & de aliis seorsim agere, & si quid ad mysticum sensum pertineat, annotare.

Laudent nomen ejus.] Dictum sæpe *nomen Domini* pro *Domino* ipso sumi, ut sit perinde *laudare nomen Domini*, & *laudare Dominum*. Concursus autem verborum *cantandi, lætandi, exultandi, laudandi*, & nominum *cantici*, atque *laudis*, cum instrumentis musicis, magnam & valde festivam celebritatem indicant, spiritualiq; gaudii redundantiam, atque ut Gregorius *q*, notat de psalmo 97. ubi sunt verba, *jubilandi, cantandi, exultandi, psallendi*, quam mirabiliter, & ineffabiliter gaudendum, & numerando instrumenta gaudii citharam, vocem psalmi, tubas ductiles, vocem tubæ cornex, quanta sit celebritas ejus.

q in 1. Reg. cap. 2

In choro.] Sic rursus postea psalmo sequenti *r*. Græcè est idem nomen Χορός, Hebraicè מחול *machol*. Chaldaicè in plurali חננין *chinneghin*. Nomen Latinum Latini Enarratores Lyranusque linguæ Hebraicæ peritus exponunt pro concordi societate per charitatem, virtutes alias, & mores, ut *sint omnes unius moris in domo* s, ut *habitent fratres in unum*, quod est *bonum, & jucundum* t, ut eodem uno animo, licet discrepantibus vocibus, & sonis, eumdem unum, & communem Dominum laudent; ut psallentes laudantesque viri hinc suos agunt choros, hinc fœminæ u, sicut quondam sub Moyse accidit *x*. Arnobius diserte *laudare in choro* declarat, cum omni populo. Græcorum eadem sententia, qui hoc significari volunt, precatione, quæ simul offertur ab omnibus dicentibus *y*, *Pater noster*, &c. præterea verbis illis Pauli *z*, *non deserentes collectionem nostram* τὴν ἐπισυναγωγὴν ἑαυτῶν. Syria è כנושין *chenusiah congregationem nostram*, idest, synaxin, conventum Ecclesiasticum ad alia sacra, tum etiam ad laudes Dei celebrandas. Colligit Augustinus ex choro juxta ipsam acceptionem, sicut in choro cantantium quilquis voce discrepet, offendit auditum, & perturbat chorum, multò magis ab hæresi disturbari concentum laudantium, & chori Christi, qui chorus ab Oriente, in Occidentem consonat, quoniam *a Solis ortu, usq; ad occasum laudabile nomen ejus* a; sed in patria tandem totus erit collectus, ut ait Cassiod. Hebræum nomen reddidit Hieronymus, & alii ferè omnes, qui trâsferunt ex Hebræo, eodem modo, quo noster Interpres, videlicet per *chorus*. Sed Cajetanus, Titelmanus, Placidus Parmensis, Genebrardus, Bellarminus, docent potuisse pro *choro* poni *tibiam*, non tantùm *chorum cantantium ad tibiam*: videri verò etiam intelligi debere musicum instrumentum, quoniam hic, & sequenti psalmo *b*, connumeratur cum aliis musicis instrumentis. Placet mihi hoc etiam, quod & confirmari potest, quoniam cœtus laudantium, & cantantium satis prius fuerat indicatus per *Ecclesiam Sanctorum*, per *Israel*, per *filios Sion*. Quod si *chorus* cetum designat, is erit constans ex cantantibus ad certum instrumentum diversum ab aliis, quæ deinceps nominantur. Variablus, & alii vertunt, *in tibia*, vel *cum tibia*: quidam fistulam exprimunt. In Exodo *c*, leguntur *chori*, Χοροὶ, מחלות *mecholoth*. Chaldaicè כנני *chinneghin*: & quia ibidem *d*, dicuntur adoratores vituli, postquam *sedissent manducare, & bibere, surrexisse, ludere*, Probabile est per *choros* innui ordines canentium, & saltantium, seu tripudiantium ad pulsum instrumentorum musicorum: quam Moyses appellavit *vocem cantantium* e, ἠχαχὶν ᾠδόντων precinentium vinum. Hebr. ענות *hhanneth*, *vocem respondendi*, sive *respondentium* quod faciunt chori. In eodem libro, narratur Maria Prophetissa soror Aaron sumsisse tympanum in manu sua, egressasque omnes mulieres post eam, cum tympanis, & choris: ubi conjunctio tympanorum, & chororum videtur innuere instrumenta

r vers. 4

Chori notiones.

s psal. 67. 26
t psal. 32. 22

u psal. 67. 26
x Exod. 15.

y Matt. 6. 9
z Hebr. 10. 25

a psal. 112. 3

b vers. 4

c cap. 32. 19

d vers. 6

e vers. 18

f cap. 15. 20

In Psalmum CXLIX. Vers. 3. 733

menta diversa, vel inter mulieres alias fuisse, quæ choreas ducerent, pullando tympana, alias, quæ aliud instrumentum. In libro Judicum *a*, revertenti Jephte ex victoria, occurrit unigenita filia cum tympanis, & choris: filiæque Silo in eodem libro *b*, scribuntur choros duxisse, Χορεύουσαι ἐν Χορεῖς, חול במחלות *chul bammecholoth*. Historia Regum *c*, prodit occurrisse mulieres Saulì choros ducentes, Χορεύουσαι, מחלות *mecholoth*. Chaldaicè בכנניא *bechinaggaija*, quod Interpres reddit *in canticis*: quæ præpositio Hebraicè exprimitur, quum rursus idem memoratur *d*. Lucas *e*, in parabola prodigi auditam prodit symphoniam, & chorum, Χορῶν in plurali. Syriacè כל זמרא דסגאא *Kol zemara desaggia, vocem concentus multorum*, videlicet vel hominum, vel musicorum instrumentorum, vel utrorumque: quod Chaldaicè etiam nomen, de qua memini, nempe כנרין *chinneghin*, valet, necnon tripudium ipsum, Salmeron *f* noster apud Lucam significari vult multitudinem concinentium sive vocibus, sive instrumentis, & præterea saltantium: sed in hoc psalmo, ac sequenti musicum instrumentum. Existimo in utroque psalmo, ut prius dixi nomine *chori* intelligi posse cum certo instrumento homines, ad ionum ipsius tripudiantes: vel certè, quia solet, ut videmus, conjungi *chorus* cum *tympano*, significabit *chorum* illos, qui tripudiant ad pulsum tympani. Radix nominis מחול *machol*, aut מחולת *mecholah*, est חול *chol*, inter alia *saltare* significans, non absonè allusione ad קול *Kol*, idest, *ad vocem*. Ab alia radice חלל *chalal*, *tibiam, fistulamve* significari volunt, quæ vocatur etiam חליל *chalil*, quasi הלול *chalul*, à concavitate. Inter epistolas Hieronymo adscriptas una est ad Dardanum *g*, de diversis generibus musicorum: scribit ibi Auctor ille, quod Synagogæ antiquis temporibus fuit chorus simplex puellis cum duabus cicutis æreis, per quarum primam inspirabatur, per aliam vox emittebatur. Addit fuisse tympum populi prioris, qui angustam intelligentiam legis acceperat, & per angustam voluntatem prædicationis omnia infirmiter prædicavit. Transcripsit ex eodem Auctore, tamquam ex Hieron. Strabus in gloss. huam ad cap. 15. Exodi. Incertum, cujusmodi fuerit instrumentum chorus, si fuit instrumentum certum. De tripudio, seu de multitudine saltantium, & concinentium, minime dubito. Quod sentiunt etiam in Exodi cap. 15. Abulensis, Oleaster, Magalianus noster, & consentiunt plurimi, qui idem dicunt, omissa mentione de instrumento, vel eo rejecto, ut Cajetanus in Exod. Lege nostrum, item Joan. Ferdinandum *h*. Nec omittenda glossa Juris Consulti *i*, chorum accipi pro numero personarum ad psallendum destinatarum, cum instrumento quodam, quod dicitur chorus. Meminit aliarum notionum pro mensura, pro loco, & ordine, pro vento: de quibus citat quoque versus, quam vis parum concinentes, concinolve,

Cantat dulce chorus, bacchatur flumine chorus,
Est mensura chorus, locus, & ordo chorus.

Celebris apud Poetas chori mentio in tragediis, comediis, satyris, pro multitudine vel virgum, vel mulierum, post actus canentium, saltantiumque. Extat in Arte Horatii officium chori, qualisque tibia, & fides, quales choro debeant canenti interponi; ac de eadem re Aristoteles *k*, Athenæus *l*, Pollux *m*, Sophoclis, Aristophanis, Senecæ tragici scholiastes, & plures alii præcipiunt, postremusque Delrius *n* noster. De choreis, & saltationibus variis generis maximè sacris, non esset hic etiam aliena disputatio, nec extra chorum, ut dicitur, saltatio. Sed non possunt omnia in commentarium includi. In convivio cum symphonia conjungit chorum, sive choream, Lucas *o* meminitque Matthæus *p*, saltationis ad cantum, Plato *q*, Χορὸς ἀπὸ τῆς Χαρᾶς, à gaudio deducit. Nulla olim ferè apud veteres tacra, in quibus non saltaretur, (ut omittatur saltatio theatrica, militaris, convivalis) quemadmodum à Luciano in proprio, de hac re, opere traditur, post Platonem *, & præter alios Auctores, à Rhodigino *r*, & à malæ Religionis Auctore, qui scripsit de antiquitatibus convivalibus *s*. Exemplo est noster David ante arcam saltans *t*, Maria soror Moysis, cum æqualibus suis *u*, aliæ mulieres occurrentes Davidi post occisum Goliath *x*; filia Jephte idem ut ursparis, quum procederet victori patri obviam *y*. Alia exempla laltantium ante vitulum *z*, & fœminarum egressarum de Silo *a*, fuerunt superstitiosa. Ferunturque Horatium in Syria Christiani Dominicæ resurrectionis, & aliis celebrioribus festis venire in templum cum lyris, citharisque atque inter se cantare psalmos, & seorsim viros, seorsimque mulieres saltare. Verùm ad præcidendos abusus, vetitæ sunt hæ saltationes in festis, ut Theologi tradunt *b*, & quos vocant Summistas: idque ipsum, cavetur utroque jure *c*. De profanis lascivis nil attinet dicere, quas damnari constat in Scriptura *d*, legatur etiam Augustinus *e*.

In tympano.] Chaldaicè in plurali, בתופין *betuphin*, quod Hebraicè habetur in singulari, בתף *bethoph*. Eodem pacto in psalmo sequenti *f*, ubi chorus postponitur tympano. Idem nomen extat in psalmo octogesimo *g*, & in 67. *h* mentio est juvencularum tympanistriarum. Diximus in octogesimo de mystica potissimum tympani notione, quæ materiam illius ponit ex corio, seu ex pelle distenta fuisse. Reputatus Hieron. in citata prius ad Dardanum de musicis epistola, & Glossa in Exodi caput decimum quintum, docet *i*, tympanum tubæ genus esse, in summis habens tripulam, vel fistulam, per quam vocem reddit sonoram. Refert præterea Glossæ auctor Strabus aliam opinionem; quod sit pellis extensa inter duo ligna. Primæ similis est, pro fistula utriculari. Secundam Abulensis explicat, ut sit instrumentum quadratum de lignis factum, & aliquando rotundum, corio extenso contectum, ac parvis intus latentibus tintinnabulis paratum, ut ex tinnitu pellis extentæ, & tintinnabulorum ad concordiam vocis ejus, qui canit, & pulsat manibus conveniens reddatur sonus. Approbat noster Magalianus *k*, & probat Virgilii *l* testimonio,

Tympana vos, buxusque vocat Berecinthia matris
Idæa.

tùm etiam Ovidii *m*,

Quæcumque ingrederis clamor juvenilis. & una
Fœminea voces, impulsaque tympana palmis,
Concavaque æreo sonare, longoque foramine buxus.

Adde Lucretium *n*,

Tympana tenta sonent palmis, & cymbala circum
Concava.

& Catullum *o*,

Nivei citata cepit manibus leve tympanum, &c.
Quatiensque tereta tauri, teneris cava digitis.

Et Ausonium *p*,

Tentis reboant cava tympana tergis.

Epithetum proprium est, ut cava, concavave tympana dicanturiquia, ut scribit Seneca *q*, repugnantem ex ulteriore parte spiritum pulsant, quemadmodum cymbala ad ipsum aerem acta, nisi concavo, non tinniunt. Vix dicere patab hoc instrumento id, quod crotalum, & crepita cujum crepitaciliumve nominant, scilicet ex ære, aut ligno ita concinnatum, ut ad manus tactum valeat sonum cire. Significat præterea tympanum id, quod vulgo vocamus *tamburo*, cribro simile, lignemum nempe instrumentum vacuum, membrana utrinque glaulum, bacillo pulsari solitum, & sonum edens, quem ipsum Hebræum nomen תוף *toph* onomatopœicè refert. Isidorus *r* favet, describens esse pellem, vel corium, ligno ex una parte extensum, quod virgula percutitur. Derivant nonnulli à τύπτω, & abjecta littera *tympanum* vocant. Idem auctor symphoniam scribit vulgò, libellari lignum cavum, ex utraque parte pelle extent, quam virgulis hinc, & inde musici feriunt, sitque ex concordia gravis, & acuti suavissimus cantus: Diceres hoc instrumentum esse integrum tamburum, & tympanum dimidiâ tantum symphoniam, ut idemmet loquitur, vel dimidiâ tamburum. Sed talem symphoniæ notionem alii, quod sciam, non agnoscunt. Tympanum vero passim dicunt, quod ἐκ τοῦ τύπτειν καὶ κρούειν LXX. & velut proverbialiter Etaiam *u*, ut cessationem lætitiæ significaret, scripsisse, *Cessavit gaudium tympanorum, quievit sonitus lætantium, conticuit dulcedo citharæ*. Magis id convenit instrumento cum tintinnabulis, crepitaculi ve, (nam & hæc pro illis usurpantur) ac tali usam credibile est Moysis sororem, non postremo, quod est magis militare, multò minus primo, quod haud ita decet ingenuas personas, ut de Minerva testatur Aristoteles *x*. Ex recitatis autem testimoniis, tùm sacris, tùm etiã Poetarum, colligitur frequentatum hoc instrumentum potius, ac sæpius à fœminis, idque potissimum à junioribus, & virginibus: Horatium *y*, adhuc audi, ostendentem quantum dedecerat senem fœminam.

Filia

—— Filia rectus
Expugnat juvenum domos,
Pulsa Thyas uti concita tympano.

Qua de causa mollia tympana Propertius *a*, ἐυτύβιτος cognominat, quòd molles fœminas deceat, & cinœdos. Videndum ut cinœdus orbem digito temperat, ait apud Suetonium *b*, quidam, & Plautus *c*, tympanotribam jungit mœcho, malaco, concinnato, umbraticolæ: præterea *d*, cur, ait, non adhibuisti, dum ista hæc loquerer, tympanum: nam cinœdum te arbitror magis, quam vitum. Subinans item Plutarchus *e*, Ptolomæi Regis mollitiem, τυμπανίζειν dixit; Et Seneca *f*, in manu tympanum, argumentum mollitiæ vocat. Denique Cybele attributum est tympanum, & appellata τυμπανοτύπη, τυμπανοδόκος, ejusque Sacerdotes Apulejus *g*, tympanistas facit, nec non Augustinus *h*. Mitto significationes alias tympani, pro parte rotæ, pro quodam genere machinæ, pro vase potorio, pro certa specie margaritæ, pro supplicii instrumento, seu lignis, quibus cædebantur nocentes, (unde τυμπανίζειν, *fustibus cædere*, vel etiam *pistibulo appendere*, aut *pauillo exilium alligare*, ad quem quis fustibus contundatur) pro partibus attrolabii, pro hydropis peculiari forma, pro ave quadam, quæ à cornice necatur, pro instrumento ad oleum conficiendum. De nonnullis Marcellus Donatus *i*, qui qua ratione colligat ex Numer. cap. 10. Levit. 16. Ex. 28. & 39. Judæos in sacris tympanis concinere solitos, equidem non video. Cunfundit cum tubis tympana. Quid si, quoniam fœmineum, ut dixi, potius instrumentum est tympanum, quem David antea chorum dixerat, distinguere voluit in chorum fœminarum tympana pulsantiū, simulque cantantium, ac [illegible]tantium in chorum virorum, his assignans psalterium; quod mox hic additur.

Et psalterio.) Hieronymus; *& cithara:* est nomen כנור *chinnor*, & pluraliter Chaldæum כנורין *chinnerin*. Redditur ab Interprete nostro in aliis psalmis semper cithara *k*, quemadmodum & à LXX. κιθάρα: iterum in uno *psalterium*, & ψαλτηρίου l. Hieronymus perpetuo *citharam* retinet: in Græca verò, & nostra editione non est *psalterium*, nisi quando non conjungitur hæc duo Hebræa נבל *nevel*, quod ab eodem Hieronymo, & aliis exponitur *psalterium*, & כנור *chinnor*, quod tunc omnes transferunt *citharam*. Vertitur idem nomen כנור *chinnor* quandoque Græcè, ac Latinè *organum* m, ut hoc accipitur genericè pro quovis instrumento musico. De his vocabulis, instrumentisque actum satis alias *n*, tùm litteraliter, tùm mysticè: atque de pio, & sacro, seu religioso eorumdem usu in Ecclesia, quem Calvinus hoc loco perperam docet, ad tempus dumtaxat propagogiæ veteris Testamenti pertinuisse, stultaque æmulatione ad nos trahi, quod erat proprium antiquo populo. Græci hujus psalmi expositores videntur annotare concessa veteri populo musica instrumenta, propter ingenii hebetudinem, & quod paullò ante avulsi erant à simulachrisieo modo, quo concessit Deus sacrificia. Hæc ipsa de re dixi, & repetendum est. Caveatur abusus, usus retinea[illegible], nec ad profana transferatur; quod sacris convenit, ne [illegible], sicut David (qui religiosè hisce utebatur) putet se [illegible]m ad impuros usus) habere vasa canticis. Decent ea [illegible]ica, quæ ad DEI spectant laudes, ecclebrantur; ut Co[illegible]lex. *p*, notat, ab Ecclesia sanctorum, qui chorus etiam [illegible] dicitur, & populus Dei, cui Deo beneplacitum est in illo, & ille exultat propter regem suum. Curandum, ut *psalmus spiritu, ac mente* q, non ore instrumentoque musico tantùm: denique *in cordibus nostris, & Domino* r; quia ut ait ille,

Non vox, sed votum, non chordula musica, sed cor:
Non cantans, sed amans cantat in aure DEI.

Missa disputatione de conviviali musica, de qua, qui convivia[illegible] antiquitates collegit, multa habet *s*: id ad rem facit, quòd illius argumentum erat apud gentiles Deorum laus, hymnique θεοῖς & διὰ τέχνη τερπνὸν τὸ ποιεῖν, & σωφρονεῖν, *ut & per illos conservaretur bonestas, atque temperantia* t, tùm præterea hominum illustrium. Quibus apud Christianos, DEI veri, ac Sanctorum successit celebris, cum concentu laudatio, in agapis illis, quarum Tertullianus *u*, & alii meminerunt. Assumtione tympani, & psalterii Augustinus designari vult manus, sive opera, quæ concinant voci, & cantui, digitos, qui linguæ: per extensum tympani corium, & distentas chordas in psalterio significari carnis crucifixionem, & mortificationem, nervolque, quanto plus fuerint extenti, tanto acutius sonare; sic Paulum in ea, quæ ante se erant extendisse se, tetigisse illum Christum, & tonuisse dulcedinem veritatis. Putatus Hieronymus psalterium simile faciens citharæ, nisi, quod hæc deorsum percutitur, illud sursum verbo quæ vulgari dici *polyphthongum*, præcipi monet, ut in cantico novo canamus DEO, non deorsum de cithara, sed deliorsum, hoc est, in Psalterio. Convenit id magis beatis, qui non egent amplius pulsatione partis inferioris, & carnis per mortificationem, tamen ibi de eorum hic præterita exercitatione, atque toleratione gaudebunt, ut ait Cassiodorus. Amobius laudationem in tympano interpretatur in extensione follis nostri corporei; benè enim sonare quum est labrum, mundum, & caltum [illegible] in psalterio autem, quoniam castitas, & abstinentia non perducunt nos ad Deum, si nos deleruerit integritas fidei, quæ in decem chordis psalterii declaratur. Gregorius *y*, quia in tympano corium siccum resonat, abstinentiam per id innui docetper chorum, in quo voces concorditer cantant, charitatis concordiam. Tùm subdit. Qui itaque sic abstinentiam tenet, ut concordiam deterat, laudat quidem in tympano, sed non laudat in choro. Scribens quoque Anastasio presbytero *z*, de contentione tollenda inter ipsum, & Episcopum Jerotolymitanum, ait, scio, quia [illegible]ntiæ, utriq; docti, utriq; humiles estis, un [illegible]e necesse est, ut Salvatoris nostri gloria in vobis juxta vocem psalmi resonet, *& in tympano, & choro laudetur*. In tympano etenim sonus ex pelle sicca est, in choro verò vocum concordia. Quid igitur per tympanum, nisi abstinentia, quid per chorum, nisi unanimitas designatur? Quid ergo per abstinentiam Dominum laudatis in tympano, peto, ut per unanimitatem laudetis in choro. Idem Pater *a*, jungens tympano psalmum, ut sit in psal. 80. *sumite psalmum, & date tympanum*; quid est, inquit, dicere *sumite psalmum, & date tympanum*, nisi accipite spiritale canticum cordis, & reddite temporalem macerationem carnis? Affirmat *e* præterea, quod psalterium habent, qui regnum cœlorum annuntiant, tympanum, qui præcidunt mortificationem carnis: tibiam, qui flere subditos jubent pro acquisitione æternæ lætitiæ citharam, qui gaudere pios pro certitudine æternorum bonorum edocent. Rationem reddit, quoniam psalterium à superiori parte resonat; tympanum de mortui animalis corio tenditur: tibia in mortuorum hominum exequiis haberi solet, cithara valdè lætum musicum est instrumentum. Adjicit, quod qui Christum regni æterni regem nominat, psalterium sonat: qui disciplinam mortificationis nostræ in eo asserit, velut tympanum fecit: tibiam sonat, qui mortuum pro salute mundi denuntiat; citharam percutit, qui à mortuis resurrexisse, & ad cœlos ascendisse dicit. Rupertus *d*, sine hoc modulationis instrumento, quod est corium in ligno extensum, significatque carnis mortificationem, negat ullam animam probam exhibere se posse cantatricem, & nisi ab ipsa mollitie, à qua mulier dicitur, qualis erat uxor Moysis, e parumper egrediatur, quatenus viros imitari, & digne Deo canere possit. De tympano Origenes *f*, docuerat carnis indicare mortificationem, crucifixionemque cum vitiis, & concupiscentiis. Prior Origene, Magister ipsius Clemens Alexandrinus *g*, in tympano, & choro Deum laudari observavit, ut intelligamus meditandam ab Ecclesia, carnis resurrectionem in pelle retonante: quum nimirum, ut alibi scribit Hieronymus *h*, omnis in nobis malorum operum caro erit consumta. Græci enarratores psalmi nostri sectantur tropologiam de tympano pro mortificatione, ac bonis operibus: psalterii, quod supernè pulsatur, pro contemplatione, per supernæ gratiæ immissionem.

Efallant ei.) Hieronymus, *cantent ei*. Magis propriè *psallendi* verbo redditum est: Hebræum זמרו *zimmer* undè מזמור *mizmor psalmus*. Reperitur tamen etiam ab interprete alibi expositum id verbum, per *cantare* i, sive *canere*, & זמירה *zemirah*, per *laudem* k, vel *carmen* l: quemadmodum & חמר *zimrah*, per *laudem* m, & *canticum* n. Docent Hebræi aliqui dici hæc vocabula de compositis arte modulationibus, & quæ habeant musicas incisiones, quia prima radix זמר *zamar, incidere*, & *amputare* significat, sive voce fiant humana, sive instrumentis. Quidam volunt propriè referri ad instrumenta. Utroque modo ac præsertim secundo, intelligi potest hic זמרו *zammeru*; ubi numerantur aliquot instrumenta.

Vers.

Vers. 4.] Quia beneplacitum est Domino in populo suo, & exaltabit mansuetos in salutem.

Sensus loci. CAntici novi, laudis lætitiæ, exultationis ratio maxima; quoniam Dominus complacuit sibi in populo suo, & ex liberali benignitate dilexit ac delegit eum sibi tamquam peculiarem, in quem conferret beneficia sua, & circa quem ederet tigna magnificæ potentiæ suæ. Præterea, quia non contentus quibuslibet bonis eum afficere, decrevit novis, atque majoribus agere, donec humiles, modestos, morigeros exaltaret, & ad perfectam salutem, idest, omnium, ac eximiorum bonorum cumulum, cum gloria perduceret, liberatos à servitute, captivitate, cunctis ærumnis. Quod longe magis, absque ulla comparatione, affirmari debet de beneplacito gratiæ divinæ erga universum genus humanum, deque illis potissimum inter homines, qui Salvatoris tantam salutem proponentis, exemplum sequi decreverunt, *mitem, humilemque corde* a, imitando: *& quemadmodum ille fecit, ac sui* B *exemplum dedit*, sic *faciendo* b. Primum illud angeli, nato canentes Christo, significaverunt annuntiantes *in terra pacem hominibus bonæ voluntatis* c, idest, beneplaciti Dei super illos. Secundum idemmet Christus declaravit eo ipso loco, quo ad mansuetudinem, humilitatemque à se discendam invitavit, quoniam Patri complacuit, gratiasque egit, quod refutatis superbis, qui sapientes, ac prudentes videntur sibi, *revelavit* salutis viam *parvulis*, sive mansuetis *d* (*decet* enim Deus *mansuetos vias suas* e) reddens illos tales per gratiam suam, ac proinde salutis capaces: hancque de negans ferociæ, atque superbiæ, quæ ab ipsamet humana natura, sive ab humanitate nos degeneres facit, nec non difficiliorem solidæ virtutis, sapientiæ; beatitudinis efficit acquisitionem.

Quia beneplacitum est Domino in populo suo.) Hieronymus, *quia complacet sibi Dominus populo suo*. Alii, *quia voluntas Domini in populo ejus: Domino enim placet populus suus, amat enim Dominus populum suum: quoniam beneplacet sibi in populo suo: nam delectatur Dominus populo suo: vult Dominus*, aut *voluntas populus suum*, &c. Omnia ait significantur Hebr. oration[illegible] כי רוצה יהוה בעמו *chi rotzeh Jehovah bebhammo*. Pro[illegible] רוצה *rotzeh*. Paraphrastes utitur nomine עזחא *ebhuthia* qui *voluntatem* valet, Verbum Græcum [illegible] εὐδοκεῖ, de quo fusè cum nomine εὐδοκία, atque de Hebræo verbo רצה *ratzah*, & nomine רצון *ratzon*, dictum satis alias *f*. Exponi o et Græcum verbum εὐνοεῖν *complacere, beneplacere, obsequi, bene sentire, bene affectum esse, bene velle, bene æstimare*. Secundum eamdem notionem vocatur *annus Domini acceptus* g, *tempus placitum*, sive *acceptabile* h. Reddit hoc loco Apollinarius καιρὸν ὑπὸ χάριν Θεῷ, *gratum populum Dei*. Important hæc vim divini propositi, consiliique bonæ voluntatis, propensi animi, & beneplaciti potissimum circa opera gratiæ voluntarium, spontaneum, gratuitum favorem: Verbum εὐδοκία, inquit Hieronymus *i*, quod Latinus interpretatus est *placitum*, apud Græcos compositum est ex duobus integris ἀπὸ σοῦ εὖ καὶ εὐδοκεῖν, à *bene*, & à *placito*, quod nos dicere possumus *beneplacitum*: quia non stat in omne, quod placuit, & bene placere potest: sed ibi tantum εὐδοκία, hoc est, beneplacitum dicitur, ubi quod placuit, recte placitum comprobatur. Hunc autem seriem de nomen de Hebr. רצון *Ratzon* LXX. Interpretes transtulerunt, rebus novis verba nova fingentes. Hoc modo ille. Reverà in scripturibus profanis haud obvius nominis hujus usus; licet εὐδοκεῖν apud eos sit *probari*, atque *celebrari*, & præterea *bene erga alium affici, bene ei cupere, eo delectari, placide acquiescere, contentum esse, libenter amplecti*, fundamentum, primaq; radix aliorum quidem, ed gratiæ bonorum præsertim, est hæc DEI εὐδοκία, & quia *prior dilexit nos* k; idque charitate perpetua, per quam *miserans attraxit nos* l. Omnia quidem, Deo, quum sunt creata, inquit Hilarius, placuerunt, Genesi testante, quum dicit *m*; *& vidit Deus, quia bona sunt* quod *beneplacitum est ei in populo suo* esse cognoscitur. Addit quod *pœnituit* postea Deum *fecisse hominem* n, quia hic pœnitenda egit; at vero hominibus ex peccato in vitam reformatis, depulsa pœnitentiæ querela, jam beneplaciti in eos affectus offenditur; reconciliati enim tumos per corpus, & sanguinem Christi ex inimicis in filios, Deo, cum nobis æterni sacerdotis placationem in pœnitentiæ Sacramento juramento spopondisset, prophera dicente o *Juravit Domi-*

Annus, & non pœnitebit eum: tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melch sedech. Legit Isidorus p, *quia placet sibi Dominus in populo suo*: vetus Psalterium, & August. *quoniam beneficit*, &c. Nescio quid Græcè, vel Hebr. legerint; quæ enim nunc extant, & recitata sunt, *beneplacere* significant, tametsi, quod placet, facit Deus, & bene facit, quod beneplacet, denique benevolentia ipsius est simul beneficentia. Juxta eam vero translationem, recte idem Augustinus argumentatur.) Quid tam beneficum, quam mori pro impiis? quid tam beneficum, quam sanguine justo delere chirographum peccatoris? quid tam beneficum, quam dicere, non ad me pertinet quod fusti is, estote, quod non fusti is. Beneficit Dominus in populo suo, dimittendo peccata, promittendo vitam æternam. Beneficit averium convertere, pugnantem adjuvare, vincentem coronare.) Sic ille; Remigius nimis angustè sumit *beneplacitum*, canticum de quo prius actum est: sive has laudes effecit in populo suo, ut ait Bruno. Moraliter loquendo, beneficit Deus in populo suo, & in eo sibi beneplacet, qui, quod hic antea dictum est, *caneat* illi *canticum novum, laudat in Ecclesia sanctorum, lætatur in eo* propter accepta beneficia: *exultat rege* tali: *laudat in choro* concordiæ fraternæ, virtutique omnium societatis, *in tympano* mortificationis, *in Psalterio* contemplationis, & bonorum operum. Hæc est hostia vivens virtutibus vitiis occisa, ut ait Gregorius *y*, sancta, quia Deo consecrata, & ideirco beneplacens *r*, nec cuim potest non illi placere & grata esse talis hostia. Posset hic præterea locus totus jam inde à psalmi principio præsertim ab illis verbis, *Filii Sion exultent in rege suo*, &c. per modum carminis expiicii applicari ad gratulantes ingredienti Christo in Jerusalem cum triumpho, cui etiam tunc illud quadrabat, quod legimus; *& exaltabit mansuetos in salutem*. Similis Zachariæ, locus de Christo ab Evangelista *s* qui quæ intellectus: *Exulta satis filia Sion* (hoc loco prius legunt multi *filia Sion exultent in rege suo*) *jubila filia Jerusalem, ecce Rex tuus veniet tibi justus, & Salvator: ipse pauper, & ascendens super asinam, & superpullum filium asinæ*. Quod Matthæus recitat, *Dicite filia Sion: ecce Rex tuus venit tibi mansuetus: sedens super asinam, & pullum filium subjugalis*: Joannes verò: *Noli timere filia Sion, &c.*

Et exaltabit,) Meadofa lectio in præterito, *exaltavit*: quia futu i temporis ei יאר *jephaer*, & ὑψωτει, ieddunt; alii *glorificabit, & ornavit, coronabit, pulchros reddet, decorabit*. Inde פאר *per, corona, tiara, mitra, diadema, decor, gloria, pulchritudo*, & similia פארות *parur* atque תפארת *thphana*, cui non dissimilis tono, & significatio *tiara*. In præterito lego apud Hilarium, Pamphilæum, Lyranum; & ultimus notat loqui Prophetam de futuro per præteritum, propter certitudinem prophetiæ. Ita alibi quidem fit: sed correcti codices habent futurum, ut dixi; quod etiam declaratur de futuræ beatitudinis exaltatione, quo jam exaltati sumus in spe. Nec est verum, quod Ayguanus refert Hieronymi translationem habere *exultavit*: Augustinus *exaltavit*. Uterque habet, *exaltabit*, quamvis concedendum sit, quod qui exaltantur à Deo, merito exultant, ut idem auctor ait. Exaltationem hic, & in alia vita futuram, Bruno exponit.

Mansuetos.] Sic etiam Hieron. vertit Hebræum nomen ענוים *hhannavim*: & alibi *modestos* & *mansuetos*, qui Dicuntur ab Interprete *mansueti*, & *mites*. Græcè bis eodem nomine πραεῖς: rursus *mites*; iterum *mansuetos* v. Ut mira sit libido novandi in iis, qui malunt hic reddere *afflictos, pauperes, abjectos*. Included quidem id nomen paupertatem, afflictionem, abjectionem; Sed recte etiam significat *mansuetos*, qui domatur, & ad mansuetudinem flectitur, qui rebus istis afficitur, quemadmodum redditur insolens, feroxque, cui prospere cuncta succedunt. Idcirco exposuit Hieronymus in psalmo 131. τὸ πρᾶος *mansuetudine*, afflictionem, ubi David orat; *Memento, Domine David, & omnis mansuetudinis ejus*, ענותו *hhunnotho*, τῆς πραότητος αὐτοῦ. Simili de causa, qui apud Zachariam *a*, vocatur *Rex pauper*, ab Interprete nostro, Græcè appellatur πρᾶος Hebr. עני *hhoni*, Chald. ענותן *hhanverban*, apud Matthæum ὁ πρᾶος. Symmachi ὁ πένης: *humilis, contusus*; &c. Tandem in psalmo 17. *e populum pauperem*. Hieronymus exponit, quem Interpres noster humilem LXX. ταπεινὸν, textus Hebræus עני *hhoni*. Dicuntur *mansueti* hoc loco, ut placet Hugoni, & Lyrano, qui dulciter sustinent oppressiones malorum, & in judicio futuro, æternaque patria erunt exaltati: qui, ut ait Rickelius, à Christo didicerunt illam lectionem, *discí-*

p *de Natiu. Domini ser.7*

q *Hom. 22. in Ezech.*
r *Lev. 22.*

s *cap. 9.*
t *Matt. 21. Joan. 12.15*

u *Ps. 24. 9*

x *Ps. 33. 5. & 75. 10.*
y *Ps. 146. 6*

z *vers. 1*

a *cap. 9. 9*

b *cap. 21. 5*

c *vers. 28*

discite a me, quia mitis sum, & humilis corde: quibus ut putatus docet Hieronymus, possessio promittitur terræ *b*, quæ desursum est, & ubi exaltantur in salutem; qui sunt, ut dicit Pampolitanus, sine felle amaritudinis in verbo, & facto, qui mansuete, ut docet Bruno, laudant Deum: qui, ut scribit Augustinus, & Ayguanus, se humiliant, & idcirco exaltantur à Deo in salutem, quum superbos exaltantes se, in mortem ipse humiliet, qui sunt hic patientes, ut Cassiodorus tradit, & diversas tolerant nequitias, atque pro DEI regno sanctissima devotione contemnuntur.

Insa autem,) Hieronymus, *in JESU*. Quam translationem sequitur Augustinus in speculo ac Isidorus in tractatu de nativitate Domini *c*, aliisq; mysteriis ejus: sensus autem esset in *Jesu*, idest, per *Jesum*, cui congruunt codices, qui habent, *in salutis*, in ablativo. Citat autem Isidorus hunc locum, disputans de nomine *Jesu*, monensque hoc in Hebr. sic hic haberi scriptum, nempe בישועה *bisiouhhabi* ubi eligitur prolatio vocalis *E*: quæ exprimitur demta præpositione ישועה *iesuhhab*. Affert præterea testimonium ex psalmo 94. *d jubilemus* DEO *salutari nostro*, quo loco reddit Hieronymus *petræ Jesu nostro*: sed idem Isidorus, ut ibidem monui, recitat *Deo salutari Jesu patre nostro*, eodem loco, & in hoc Paraphralles utitur patronomen פרקנא *purhana*, *redemtionis*: quod æque convenit Christo. Augustinus in opere de Civitate *e* Dei, proferens ex Abacuc *f*, secundum veterem versionem, *laudebo in Deo salutari meo*; melius asserit sibi videri codices illos habere in quibus est, *in Deo Jesu meo*, quoniam hoc est nobis amicus, & dulcius nominare. *Salutem* significat ישועה *jesciuhhab*. Sed Hebræorum more, pro concreto accipitur abstractum, activè sumto, idest, pro salutis effectore. Nomen ipsum JESU, ab Abacuc positum contendit Ribera nostrer *g*, quod Hebræi soleant compendio scribere ישו *Jesu*, & sic extet in titulo Crucis. Id alii putant per contemtum, & irrisionem nostri Salvatoris, ab illis fieri. Contendit Leo *h* Castro nomen cum ה *he*, formæ alioqui fœmininæ, salutem significans ישועה *jesciuhhab*, esse nomen quoque proprium Christi: & Procopius observat, ubi σωτηρ & vocem habemus, Hebraica לחוץ habere, idest, *Jesum*: & Victorius *i*, testatur in Evangelio quodam Chaldaico reperisse se nomen Christi per ע *hhain*, & ה *he*, in fine terminatione fœminina. *Salus*, & nomen *Jesu*, comprehendit omnia bona, & ad omnes extendit se: nominatim ad sectatores manitudinis, modestiæ, humilitatis, quæ ipsi adeo propria fuit. Hi *hereditabunt possidebuntque* ut ante dixi, *terram* (viventium,) & *delectabuntur in multitudine pacis* k, & *quum resurrexit in judicium Deus, salvos faciet omnes mansuetos terræ*, immo propterea exiurget *l*.

Vers. 5.) Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.

sensus loci. PRædicit deinceps; ut Græci tradunt, & Hebræi, litteraliter; verum videtur, Hebræum populum sanctum idest, sanctificatum, & dedicatum Deo, victoriam reportaturum de finitimis gentibus, quæ templi, & civitatis restaurationem impedituræ sunt, ita ut propter victoriæ gloriam à Deo præstitam gloriabunde exultent, exultanterque glorientur. Præterea fore, ut non modo in utramque, ut dicitur, aurem dormiant, & sine ullo timore securi, verum etiam in suis cubilibus jucunde, quumque honesta, & suavi delectatione conquiescant. Adhæc, ut pugnaturi cum hostibus hilariter, Deumque ore, gutture, faucibus laudantes; invocent ipsum, & sic *ab inimicis salvi sint* m; manibus autem gladios tractent, & vibrent; quibus eosdem concidant: Causam porro victoriæ tantæ affinnant, ut repetant vindictam, sive per ipsos DEUS, de gentibus, quæ injuria Sanctos, ac DEO charos, deditoq; affecerunt: item, ut redarguat DEUS, & convincat, aut per se, aut per Hebræum populum Victorem, illos eosdem populi hostes, ne sibi videantur justè persecuti Hebræos: vel idem DEUS ipsummet populum tum, ne arbitretur immerito se pallum persecutiones, nec quia nequiverit illi Deus liberare, ted propter crimina propria: tum etiam, ut ipsimet hostium reges, ac nobilissimi vinculis constringantur: postremo, ut constet apud utroq; & Hebræos, & ipsoum adversarios vera, ac justa judicia esse, quæ in divinis listeris conscripta sunt, tam quæ continent impiorum eversionem, quam quæ liberationem cultorum suorum. Gloria hæc, inquit, est omnibus Sanctis ejus; nimirum tantum, & adeo insignem retulisse de hostibus triumphum. De singulis agendus separatim. Quod attinet ad istum versum, sensu mystico anagogico, quem plurimi tradunt, de futura beata exultatione intelligitur, quæ percipietur ex tolerata cruce, in qua gloria piorum *n*, & *pie in Christo viventium* est *o*, ut nominatim docent putatus Hieronymus, & Euthymius: atque de summa, & suavissima pace, qua potiturus hi præsertim, quos DEUS ob manisuetudinem exaltaverit: Humiles electi, ait Gregorius *p*, cum Deo in æterna gloria exultant: qui nimirum, quia glorificationis claritatem ex modo propriæ conversionis accipiunt, in cubilibus suis lætari de gloria consecuta perhibentur. Solis pater Sanctis aditus ad illam gloriam, latitiam requiem: ibi *in pace idipsum dormiunt*, & *requiescunt* q, ob quietem, & cessationem *à laboribus*, r, sed *cor* illorum *semper vigilat* s: & animus felici otiatur negotio, *vacans, videns, gustans, quoniam suavis est Dominus* t; *in lectulis suis floridis*, non *quarunt*, sed habent ac tenent, *quem diligit anima ipsorum* u: non *compunguntur* amplius, ut prius, *in cubilibus* istis inferioribus *x*: non periclitantur *mala* in illis *operari* y; *de cubilibus leonum venientes coronantur* z: supra finum ipsiusmet Christi *a*, Deique, non tantum *in sinu Abrahæ* b, requiescunt, *pausant, & quiescunt, qui venit requies æternitatis, & lux perpetua lucet eis per æternitatem temporis, in præmiis regni* c: *cubant, & pascunt in meridie* d, claræ visionis DEI, *in accubitu regis sui* e: *recumbentibus ministrat* ipsemet rex *suis exultant, & gaudent usque in æternum* g, jam non *lacrymis*, inquit Hilarius, *stratum rigabitur*, nec in *hoc mortis corpore* degentium, ob peccati necessitatem, ac dolorem *noctibus singulis lectus lavabitur* h: Quis de nobis, ait discus Hieronymus, in cubili suo lætatur? Quis non pugnat cum carne sua? Ego cum è lectulo meo vigilavero, non lætor, sed pugno; non regnum cœlorum suspiro, sed cum carne pugno: incendium carnis rigo lacrymis, & extinguo; propterea dicitur; *lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo* i. Lectulus meus qui aidet libidine, extinguitur lacrymis. Fœlices illi, de quibus dicitur, *lætabuntur in cubilibus suis*. Datur beatis regnum *k*, domus, ac mansiones in ea *l*, denique cubilia, propter varios gradus gloriæ, & varias rationes in gradibus ipsis cujuslibet beati. Appellat Nicephorus αιωνιους μονας, ἀγηρατους, *æternas mansiones, & requiescones*, atque plures alii Latini Græcique idem fere dicunt. Hugo considerat exultationem, lætitiam, & gaudium Sanctorum, ac potestatem, cum hic ob tutam conscientiam, & frequentem laudationem Dei, tum in patria, *ubi tristitia vertetur in gaudium* m, tristitia videlicet præsentis temporis, ubi deformitas sine pulchritudine gravitas sine agilitate, imbecillitas sine potestate, infirmitas sine lætitate, servitus sine libertate, anxietas sine voluptate, mors sine vita, ignorantia sine doctrina, inimicitia sine charitate, discordia sine pace, dedecus sine honore, invaliditas sine fortitudine, tristitia sine gaudio. Explicat præterea cœnæ nuptiarum agni, ad quam vocantur beati *n*, conditiones decem illis similes, quæ fuerunt in convivio Asueri *o*, opportunitatem temporis, loci congruitatem, invitantis hilaritatem, diversitatem ferculorum dignitatem commensalium urbanitatem ministrantium, luminarium claritatem, sonorum varietatem, diuturnitatem cœnæ, quietis securitatem. Amplificari possunt ista cum aliis ad idem spectantibus, & ad collationem status æruminæ præsentis, futuræq; beatitudinis. Athanasius, aliasve in quæstionibus *p*, ad eam, quid sit, pios, ac sanctos gloriari in gloria, & in cubilibus exultare, telpondet post mortem istud ipsis contingere in mansionibus regni cœlorum. Tropologiam eamdem de justis in hac etiam vita gaudentibus in ipso *q*, futuræ vitæ, & ipsomet bonæ conscientiæ testimonio, tamquã intra cubilia propria, non propter laudem, approbationé, favorem humanum, ut notat, non tantum citatus Hugo, sed Bonaventura etiam, Ayguanus, Pampolitanus, Haimo, Cassiodorus, Prosper, Augustinus. Ultimus optime rem exaggerat, prolato Paulo *r*, qui *gloriam nostram* dicebat *esse testimonium conscientiæ nostræ*. *Ascendit cubile Patris* *s*, qui gloriam soli DEO debitam usurpat sibi, quemadmodum allegoricè de Lucifero in cœlo, & de Adamo in Paradiso, intolescentibus, ac superbientibus, Deique honorem affectantibus, Glosia ordinaria *t* declarat. Gregorius *u* exponit hunc locum nostrum, quod justi quando mala ab exterioribus fugiunt, securi intra mentium secreta

creta gloriantur: sed tunc lætitia cordium perfecta erit, cum carnis ab exterioribus pugna non fuerit: quoſq; caro illicit, quia quasi domus nostræ paries quatitur, etiam cubile turbatur: & dum nos tentatio carnis concutit, tremefacta nostra infirmitas, etiam mentis cubile confundit, *universumq; stratũ nostrum, versatur in infirmitate nostra* *a*. Arnobius quoq; cubilia videtur præsentis temporis accipere, atq; in illis lætari justos, sanctosve, qui postea exultabunt in gloria: interim vero expectant diem retributionis. Qua propter possunt per *cubilia* intelligi corpora, in quibus veluti jacet anima nostra, dormit, sopitur. Innuit & hoc Bernardus *b*, docens implorandam opem divinam super *lectos doloris*, *ac infirmitatis* hujus *c*. Sic etiam pro quo jacet anima dissoluta; sed per gratiam curata jubetur tollere, ac portare in domum *d*, virtutum suarum. Ex eodem patre *e* possumus colligere cubilia, lectosve accipiendo pro claustris, & monasteriis, in quibus quiete à curis vivit sæculi, & sollicitudinis vitæ. *Sanctos*; idest, bonos religiosos *exultare in gloria, & lætari in cubilibus*, tum conscientiarum, quia nihil sibi conscii sunt *f*, tum corporum, quoniã illa mortificant, & redigunt sub rationis obedientiam *Myrrha, aloe, cinnamomo aspergendi cubilia illa* *g*: *curandum, ut in quibus dracones habitare* consueverant, *oriatur viror junci; & calami* h; *detestanda cubilia incirvallis Achor in cubile* k: idest, turbationis ac inferni locus, sed ratione utentibus, ac sanctitati studientibus detur *sedere in lecto pulcherrimo, & mensa ornata sit ante nos* l, ministrante nobis, ut ante dixi, rege nostro *m*. Hi sunt *lectuli aurei & argentei super pavimentum* n cœli empyrei, ubi regium celebratur convivium. hic lectus ille; qui consolatur beatos *o*. Plura Berchorius in repertorio *p*, & Sylvæ allegoriarum auctor *q*, nosq; ipsi in aliis psalm. *r*. Conferre item possemus *lætitiam peccatorum*, *quum male fecerint, exultationemq; in rebus pessimis* s, *gloriationem in malitia* t, *gaudium*, & *lætitiam in occidendis vitulis jugulandis arietibus, comedendis carnibus, bibendo vino* u, cum gaudio, lætitia, exultatione, gloriatione spirituali hominum C in lectis ipsis materialibus nec lasciviant, nec lasciviæ tillamenta sentiant: certe non consentiant, ac plerumque dormientium casta, sanctaq; sint omnia, de Deo cogitent, ac eum ibi laudent.

Exultabunt Sancti in gloria.) De vi verbi יעלו *jabhalezu*, & sequentis ירננו *jerennenu*, dixi alibi *x*, primum videri magis pertinere ad internum animi gaudium, absque corporis gestu: secundùm ad id, quod voce, & quidem altiore promitur; tamen utriusque nonnunquam raro confundi. Græcè primum est καυχησονται, quod proprie valet *gloriabuntur*, ut & simplex ab ἀυχὴν, *cervix*, quasi sit cervicem erigere: id facit etiam, qui exultat, ita ut hanc quoque significationem in verbum habeat. Alii imperative, *exultent Sancti cum magnificentia, summaq; gloria*, vel *decore*, הכבוד *bichbod*, idest, ob gloriam, qua quod sint liberati, floreant iterum, in integrum restituantur, gloriari poterunt. Posset præterea *gloria* intelligi de DEO, vel de arca, in qua ille peculiariter habitabat, ut sæpius demonstravimus. Quo pacto significatur, exultaturos Hebr. de arca, Deoq; cùm ex captivitate revertissent. Sancti autem eodem Hebr. nomine חסידים *chasidim* dicuntur, quo in versu primo, & proprie significat *misericordes*. Hi misericordes peculiariter exultabunt, glorioſiq; apparebunt in judicio, cum *laus erit unicuiq; à Deo* y, quia *misericordiam consequentur* z, & erit *judicium cum misericordia his, qui fecerint misericordiam* a; & *superexaltabit. si ve triumphabit misericordia judicium* b, atq; de judicio; fausta sententia pronuntiabitur pro iis, qui misericordiæ opera exercuerint *c*. Sed & tales in hac ipsa vita glorioſi erunt, honorati laudati, amati, velut benefactores. Benevolentiam sibi conciliant liberalitate, qui utuntur *d*. Unum dicam, inquiebat ad Alexand. Magnum Arisi., quod numquam cessavi dicere, Avaritiæ fugam, & liberalitatis gratiam, Regum esse gloriam, & regnorum firmamentum *e*. Agapeti aurea, gemmeaq, sententiam in pareneſi ad Justin. Imp.. Vestimentum non veterascens est beneficentiæ amictus, & incorrupta stola est erga pauperes. Eum igitur oportet, qui pie regnare vult, talium indumentorum pulchritudinem animam exornare: amoris enim in egenos, qui indutus est purpura, cœlestis quoq; regni compos efficitur. Cæterum exultationem Sanctorum in gloria, intelligentes de beatis, æterna gloria fruentibus, colligimus connexam illi gloriæ necessario, sive beatitudini, ac visioni Dei delectationem. Id alia multa Scripturarum testimonia docent, communisq; consensus Patrum, atque Theolog. & ratio persuader; nec defuere, qui essentiam beatitudinis totam, aut magnam ejus partem constituerint in delectatione; vel qui contenderint nec de potentia absoluta divelli posse a DEI visione. Nihil horum per se verum, præsertim ultimum: quoniam ex rebus, & actibus inter se diversis, unus ab alio seorsim potest esse, ac suum DEUS concursũ suspendere, seu denegare uni, alteri eum communicando. Neq; rectè philosophantur, qui beatificam delectationem asserunt esse passionem, non autem actum elicitum à voluntate: est enim vitaliter in voluptate, ac proinde ab eadem efficienter. Verum ista scholastice alias disputata sunt. Non ipsa quondam amicorum, ac parentum etiam tormenta imminuent voluptatem beatis, qui potius lætabuntur visa vindicta *f*. Quæ una inter alias ratio Fabrum Stapulensem *g* movit, hoc quoq: testimonio utentem, quia videlicet Abraham lætatus non legitur divitis tormentis *h*, ut illum divitem crederet non in damnatorum, sed tantum in inferno purgatorii fuisse. Quam opinionem Fevardentius *i* non censet improbabilem, & Paulini *k* epistolis nonnullis confirmat ad Delphinum, Amandum, Pammachium. Sed nec adhuc præter unam epistolam Paulini reperi, in qua mentionem faciat hujus historiæ, & accommodatitie tantum scribit: & opinio illa repugnat communi, quæ sive historia sit de divite, sive parabola de inferno damnatorum, in ea agi sentit.

Lætabuntur in cubilibus suis.) Hier., & in Speculo Augusti. *laudabunt*, &c. Alii, *jubilabunt intra thalamos suos*: *læti cantabunt in lectis suis*, *vel super cubilia sua ovabunt de cubilibus suis*. Quæ denotant lætitiam, laudationem lætam, jubilum, cantum ve jucundum, cum suavi, & tranquilla pace, cum magna securitate, quam cubilia, lective denotant, absq; somni inertia. Lætitiam exultantem valet ירננו *jerannenu* eam, quæ vocis fiat contentione, ut sæpe notavimus. *Cubilia* יצועים, משכבות *mischevoth*, lectos ipsos, in quibus capitur somnus: dormire namque שכב *schiathau*, significat. Occurrit nomen Hebræum ps. 40. *m* ubi redditur *stratum*, & *xolnv* vertit *sacros*. Sensus litteralis est de lætitia, & alacri Dei laude, ob concessam quietem, ac securam ab hostibus liberationem, atq; ita etiam, ut præ gaudii magnitudine, dum soli sunt, & ipsimet lectis continere se nequeant à cantu, quo lætitiam suam significent. *Arcum, & gladium, & bellum conteram*, ait apud Oseam *n* Deus, *& dormire eos faciam fiducialiter*. His, quæ dixi prius de quiete conscientiæ, quodamq; illius dulci somno, quem justus quasi dormiat, adde sententiam Sapientis *o*, *Si dormieris, non timebis quiescet, & suavis erit somnis tuus*. Pollicetur item Deus *p* justis fore, ut non sit qui exterreat dormientes; quod alii quoq; divini Scriptores *q*, repetunt. E contrario *recedit somnus* ab oculis impiorum *r*, *Semperq; præsumit sæva*, *perturbata conscientia* S. Hugo Victorinus *s*, integro sermone tractat hæc, & sequentia verba de Festo omnium Sanctorum. Docet, quod gloria Sanctorum est bona conscientia eorum, ut jam diu ante ex Paulo *u* recitabamus, *gloriam esse testimonium conscientiæ*: & præterea quoniã idem hortatur *x*, ut *opus suum unusquisq; probet*; & sic in semetipso tantum gloriam habebit, & non in altero. Lætari in cubilibus air, dum à carnis desideriis remoti, à curis sæcularibus elongati, & in pace interna positi, cœlestia bona quiete contemplantur, ita ut sic *dormiant cor* autem eorum *vigiles* y; quoniam sopitis ad exteriora sensibus, intrinsecus ad interna contemplanda devote vacant. Post resurrectionem vigiles erunt sensus ad sua objecta, cum honesta quadam voluptate, quę nihil impediat mentis vacationem, contemplationem. visionẽ DEI, notitiam aliarum rerum. In die judicii electi *intrabunt in cubicula sua*, *claudentq; ostia sua super se, & abscondentur* à Dei, aitque Christi *indignatione*, ut scribit Esaias z, quęcubilia nil aliud erunt, nisi *gaudium Domini*, ad quod invitabuntur, ut *sed in inferno* tantum *protegentur* c. Rectè quidem citatus ab Hugone Victorinus *d*.

Quantum tui gratulentur, quam festive conviventur:
Quis affectus eos stringat, aut quę gemma muros pingat:
Chalcedon, ac hyacinthus,
Norrunt illi, qui sunt intus.

Utitur Ecclesia versiculo isto tum in Officio de omnibus Sanctis, tum de pluribus Martyribus.